



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1764**

**VD18 90118049**

Liber LXXXI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)



HISTORIA  
ECCLESIASTICA.  
*LIBER LXXXI.*

(∞∞∞∞∞∞∞∞∞∞∞∞∞∞∞∞)

GREGORIUS IX. PAPA.  
FRIDERICUS II. IMP. OCCID.  
JOANNES BRIENNIUS IMP. ORIENTIS.

§. I.

*Otto Pontificius in Anglia  
Legatus.*

Anno 1236 Henricus tertius Anglo-  
rum Rex Papam Gregorium orave-  
rat, ut sibi Legatum a latere mit-  
teret. Sed Papa id tunc haud opportu-  
num censuit, ut docet ejus epistola 21  
Aug.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1237.



Sæcul. XII.  
A. C. 1237.

*lib. X. ep. 201*  
*ap. Rain.*  
1236. n. 49.

*Matth. Par.*  
*an. 1237.*  
*p. 371.*

*to. XI. conc.*  
*p. 525.*

Aug. scripta. Misit vero aliquem ineunte anno 1237, ac ejus legationem in Valiam & Hiberniam extendit per litteras ad Præsules Angliæ dictarumque provinciarum 12 Febr. datas. Hic Legatus erat Otto Cardinalis Diaconus ad S. Nicolaum; cumque profectus esset, Papa ejus muneri Scotiam quoque addidit, & Regi Alexandro hac super re 10 Maji scripsit. Sed quia Rex Henricus Legatum insciis Angliæ Proceribus vocaverat, plures irati ajebant: *Rex disturbat omnia, nec promissis stat suis: hunc Legatum clam accivit, qui totam Regni faciem mutat.* Dicebatur etiam Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis Regi suam agendi rationem, ac singulariter accitum Legatum objecisse, præter bonum commune etiam dignitatem Regiam detrimentum inde accepturam prævidens. Rex autem non audito Præsulis, vel alius cujusquam consilio, desistere a proposito suo noluit. Otto Legatus in Angliam advenit circiter Festum S. Petri, nimirum sub finem Junii, multoque cum comitatu & pompa intravit, Episcopis & Clericorum præcipuis usque ad mare, nonnullis etiam per lembos obviam profectis, & munera omni æstimatione majora offerentibus. Plures Episcopi per Legatos ei pannos coccineos & vasa pretiosa Parisios usque miserant: sed tam donatio, quam munerum qualitas



tas carpebatur; nam eum per coccinum videbantur Legatum agnoscere. Otto haud omnia suo in adventu sibi oblata accipiens, hac animi moderatione Romanorum mori contraria conceptam adversum se iram temperabat. Quod ad fructus beneficiorum vacantium attinet, eos largiter comitibus suis distribuit. Rex in littore maris exceptum, cum se usque ad ejus genua inclinasset, honorifice in interiora Regni ducebat. Episcopi, Abates, cæterique Præsules interea, dum æra campana sonabant, instructo procedentes ordine illum omni officiorum genere coluerunt.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1237.

Legatus primum multos Optimatum diu inter se dissidentes in gratiam reduxit, ut Petrum Episcopum Vincestriæ, Hubertum Comitem Cantii, & plures alios. Deinde scripsit ad omnes Angliæ Præsules, ut die octavo S. Martini in Londinensi S. Pauli Templo comparerent, ubi expositurus potestatem sibi a Pontifice Maximo delatam, & concilium de instauranda Ecclesia Anglica habiturus esset. At Rex audiendo extraneos, ac Regni Procerum, ut Richardi fratris sui Cornubiæ Comitis, consilia spernendo in eorum odium incurrerat. Perhibebant, eum Romanis, ac præcipue Legato se totum addixisse, ita, ut sine Papæ vel Legati consensu in Regno suo nihil statuere

se

Matth. Par.  
p. 374.

p. 376.



Sæcul. XIII. se posse privatim & palam diceret, nec  
 A.C. 1237. Rex sed Papæ cliens beneficiarius esse  
 videretur. Interim Legato eximia in-  
 dies dona mittebantur, equi phalerati,  
 vasa, vestimenta, pelles, pecuniæ, cibaria.  
 Solus Episcopus Vincestriensis Londinum  
 ituro misit quinquaginta boves pingues,  
 centum tritici puri sarcinas, octo excel-  
 lentis vini dolia; cæteri pro suis quisque  
 opibus.

φ. 377.

Rex Henricus die Festo Exaltationis  
 S. Crucis nimirum in medio Septembris  
 Eboraci conventum Optimatum celebra-  
 ri iusserat, cui etiam Legatus intererat,  
 & Alexander Scotorum Rex ab Henrico  
 & Legato invitatus, duoque Reges con-  
 troversis suis finem imposuere. Lega-  
 tus deinde Papæ jussu adire Scotiam vo-  
 lebat, ibi res Ecclesiasticas, ut in Anglia,  
 compositurus. Sed Alexander ad eum,  
 quantum memini, ajebat, *non vidi Lega-  
 tum in Regno meo; nec opus est aliquis, sed  
 ibi omnia bene procedunt; Deo sint gra-  
 tes! Inmo ne antecessorum quidem meo-  
 rum temporibus ullum eo venisse audii, nul-  
 lumque admittam, quamdiu mentis compo-  
 ero. Quia tamen vir sanctus diceris, te  
 moneo, ut, Regnum si meum intres, cau-  
 tus sis, ac providus, nequid adversi tibi  
 contingat. Nam incolæ feroces sunt ac  
 indomiti, humani sitientes sanguinis, quos  
 ipsimet nec subigere possum, nec coercere.*  
 si in-



*si insultent tibi. Nuper admodum voluerunt e Regno me pellere, ut forsitan audisti.* Ad hæc verba Legatus Scotiam ingrediendi desiderio moderationem adhibens, apud Angliæ Regem sibi prorsus submissum permansit. Italum tamen cognatum suum Scotiæ Regi reliquit, qui eum creavit Equitem, ac fundo donavit, ne Papæ omnino resistere videretur.

Sæcul. XIII.

A. C. 1237.

§. II.

*Conjunctio Equitum Christi cum Teutonicis.*

In Livonia Equites Christi & Cruce signati magnam ab ethnicis stragem passi sunt circiter Festum S. Mauritii, scilicet 22 Septembris 1236 Volquino secundo Ordinis Magistro cum 50 suorum Equitum ibi cæso. Is vero jam ante sexennium ad Hermannum Salsium generalem Ordinis Teutonici Magistrum solennem miserat legationem, quæ duorum Ordinum conjunctionem procuraret: & Hermannus cum fratre Joanne Magdeburgensi Volquini Legato Papam adierat, hanc ei rem commendaturus. Interim frater Gerlacus Rufus e Livonia veniens cladem Christianorum, & Volquini mortem nunciavit. Tum vero per motus Papa fratres Joannem & Gerlacum Equitum Teutonicorum veste induit,

*Alb. Stud.*  
1236.

*Petr. de  
Dusburg.  
Chr. Pruss.  
c. 28.*



Sæcul. XIII. duit, album cuique pallium cum cruce  
 A.C. 1237. nigra præbens : eosque iussit idem face-

IX. ep. 64.  
 ap. Rain.  
 1237. n. 64.

re omnibus cæteris in Livonia Christi Equitibus, quibus alias duo gladii tanquam sua in vexillis insignia nomen dederant. Hanc conjunctionem Summus Pontifex autoritate sua firmavit per litteras tribus Episcopis Rigensi, Osidicensi (cujus sedes incognita mihi est) atque Derpatensi scriptas. Earum summa est hæc: *Fratres Ordinis Christi cum Fratribus Teutonicis S. Mariæ unum in corpus redigi non semel cupierunt, sperantes, hac ratione ethnicos facilius subactum iri. Quam ob rem illos & omnia eorum bona merito conjungimus, ita ut Episcopis, cæterisque Superioribus suis obnoxii maneat.*

ep. 66. *ibid.* Dabat 13. Maji an. 1237. Eodem tempore Guilielmo, suo in Livonia Legato, priori Episcopo Mutinensi scripsit, ut Daniæ Regem Teutonicis Equitibus propitium redderet, in ejus terris sedem ponere si vellent.

ap. Rain.  
 1240. n. 35.

Verum post annos paucos hi Equites vehementium contra se questuum causam Episcopo Borussiae dederunt. Homines illis in locis natos ab amplectenda Religione Christiana avertabant, duriorum in eos dominatum exercituri : ac neophytos habebant tam crudeliter, ut multi ad veterem superstitionem suam redirent. Quamvis Equites amplissimos fundos ab  
 Episco-



Episcopo, aliaque beneficia accepissent, Sæcul. XIII. jurassentque, se ejus jura tuituros esse, A. C. 1273. annuos tamen ejusdem fructus in contentionem vocatos sibi vendicabant, & nobilem Borussum, quem ille obsidem nactus erat, interfecerant, quia certam pecuniæ summam ipsis pendere recusabat. Atque hoc liquet ex epistola Papæ an. 1240 ad Episcopum Mindensem scripta, qua hunc jubet Religiosos illos adigere, ut Episcopo Borussiae satisfaciant.

## §. III.

*Papa S. Francisci stigmata affirmat.*

In Bohemia Fridericus Episcopus Olomucensis litteras patentes edidit, quæ perhibebant, nec S. Franciscum, nec alium Sanctum in Ecclesia cum stigmatibus exhibendum esse; contrarium defendentes peccare, nec mereri fidem, tanquam fidei inimicos. Evechardus Ordinis FF. Prædicatorum longius est progressus. Nam Oppaviam tunc Moraviæ, nunc Silesiæ urbem delatus, palam e sacro suggestu dixit, S. Franciscum in corpore suo stigmata non habuisse; FF. Minores populo in templis imponere, & falsa proferre; nec nisi stipis copiosius accipiendæ gratia illud asserere; ex autoritate Summi Pontificis se in illos anathematis. *Vading. an. 1237. n. 1. 2. 3. Rain. n. 60.*

*Hist. Eccles. Tom. XX.* S thema



Sæcul. XIII. A.C. 1237. thema contorquere posse. His comper-  
tis Papa per epistolam Ordinis Superio-  
res Evechardum sacri Oratoris munere  
privatum Romam mittere iussit, meritas  
daturum poenas: eodemque tempore ad  
Episcopum Olomucensem singulariter, ac  
generatim ad omnes Germaniæ Christianos  
scripsit, S. Francisci stigmatum veri-  
tati fidem facturum, tanquam causæ præ-  
cipuæ, ob quam cœlestes ei publicique ho-  
nores decreti fuerint. Litteras dabat  
mense Aprili an. 1237.

## §. IV.

*Eremitæ S. Augustini.*

Currente eodem mense Imperator Fri-  
dericus in Germania commorans  
*Ric. S. Ger.* Hermannum Ordinis Teutonici Magi-  
*an. 1237.* strum, ac Doctorem Petrum de Vineis fo-  
ri Cæsarei Præsidentem ad Papam Grego-  
rium misit, oraturos, ut Lombardiam pa-  
cicaret, & ad conservanda Imperii jura a-  
digeret. Papa iis in præsentia Cardina-  
lium auditis, 22. Junii an. 1237 Impera-  
tori scripsit, suo iussu hunc in finem Ray-  
naldum Episcopum Ostiensem, & Tho-  
mam Presbyterum ad S. Sabinam Cardi-  
nales Legatos adiisse Lombardiam. Fri-  
*Xl. ep. 88.* *ap. Rain. n. 5.* *Mon. Pad. Chr. 1237.* *Ric. S. Ger.* *Vita Greg. ap. Rain. n. 6* dericus mense Septembri Italiam cum  
exercitu suo & Mantuam ingressus captis  
quibusdam locis agrum Brixianum vastavit,



vit, & hoc successu elatus denegato Pa-  
pæ Legatis sui alloquio, eos Romam re-  
verti coëgit.

Cum in Lombardia essent, Fratrum  
Minorum querimonias contra Eremitas  
discipulos Joannis Boni Ordinis S. Augu-  
stini audierunt. Ille Mantuæ an. 1168  
natus ex nomine Patris sui Joannes, ac  
ex nomine Bonnæ matris suæ Bonus est  
dictus. Amisso patre varias percurrit  
provincias nugatorem agens: ita tunc  
vocabantur ii, qui recreandis aliis canta-  
bant, & fidibus tibiisve ludebant. In-  
terea matris pro filio precibus, multisque  
lachrymis cessit Deus: nam Joannes gra-  
vi correptus morbo, expensis serio pro-  
fanæ vitæ periculis votum vovit se pe-  
nitentiam tradendi Deo, si convalesceret. Sa-  
natus Episcopo Mantuano sacram Con-  
fessionem accurate fecit, & mortua post-  
modo matre annos quadraginta nume-  
rans in Romaniolæ locum desertum mil-  
le passibus Cesena distantem secessit, u-  
bi peccata sua poenis tam rigidis vindi-  
cavit, ut earum circumstantiæ, quæ per-  
hibentur, fidem excedere videantur. Fa-  
ma ei sua multos adscivit discipulos, e-  
ratque tanta viri autoritas, ut an. 1225  
cives Ravennæ ac Cerviæ eum litium  
suarum arbitrum cooptarent.

Ejus discipuli se dicebant Eremitas  
Ordinis S. Augustini, cingebantque togas

S 2

cor-

Sæcul. XIII.

A. C. 1237.

S. Anton.

tit. 24. c. 13.

Vading.

Apologet.

§. 2. n. 6.

Rub. lib. 6.

e-p. 393.

Vading.

1237. n. 11.

Et Apol.

§. 4. n. 3.



Sæcul. XIII. A.C. 1237. corrigiis, baculis modo instructi, modo carentes; victum conquirentes precario pecuniam quoque accipiebant: denique externam speciem variabant, ita, ut interdum pro Fratribus Minoribus haberentur, id quod Christianorum erga hos charitatem diminuebat. Atque hoc est, quod Legatis conquerebantur, quorum alter, Episcopus scilicet Ostiensis, eorum fautor ac patronus erat. Papa a Legatis ea de re rogatus rescripsit: *Eremitæ sibi eligant togam nigram vel albam cum manicis laxis, quales monachorum sunt: gestent latum e corio cingulum, & manu baculum quinque palmis altum: vestis non sit tam longa, ut calceos tegat: colligentes stipem, expresse, cujus sint Ordinis, memorent!* Hæc tunc constituit Papa, & post triennium per litteras 24 Martii an. 1240 datas confirmavit.

## §. V.

*Jacobitarum ac Nestorianorum cum Ecclesia Romana conjunctio.*

*Matth. Par.* Interim Papa accepit litteras Philippi  
1237. p. 372. Prioris Fratrum Prædicatorum in Terra sancta. Erant vero hunc in modum  
*Raynald.* scriptæ. Patriarcha Jacobitarum Orientis, vir ætate, scientia & virtute venerabilis, hoc anno pietatis causa Hierosolymas venit numerofo cum comitatu Episcoporum,  
*cod. n. 87.* mona-



monachorumque suæ nationis. *Explicavi-* **Sæcul. XIII.**  
*mus illi fidem Catholicam, ac Deo juvante* **A. C. 1237.**  
*persuastimus, ut Dominica Palmarum in so-*  
*lenni supplicatione, dum a monte Olivarum*  
*ad urbem proceditur, omni hæresis genere e-*  
*jurato, Ecclesiæ Romanæ obedientiam polli-*  
*citus, suam fidei confessionem Chaldaico &*  
*Arabico sermone scriptam nobis daret; quin*  
*etiam amictum nostrum abiens gereret. Huic*  
*Antistiti parent Chaldæi, Medi, Persæ, &*  
*Armeni, quorum terras magna ex parte Tar-*  
*tari jam devastarunt; parent septuaginta*  
*provinciæ, innumerabili Christianorum mul-*  
*titudine frequentes, qui tamen Saracenis sub-*  
*jecti sunt ac tributa ferunt, exceptis mona-*  
*chis a pensione immunibus. Romæ se pari-*  
*ter submisere duo Archiepiscopi, Jacobi-*  
*ta Ægyptius alter, alter Nestorianus Orien-*  
*tis, in Syria Phœniciaque agniti Superio-*  
*res. Armeniæ Regis Procerumque summis*  
*precibus facturi satis, jam quatuor e nostro*  
*gremio Fratres illud in Regnum misimus,*  
*linguam docendos.*

Plures ad nos epistolas dedit Nestoria-  
 norum Patriarcha, qui Indiam Magnam,  
 Presbyteri Joannis Regnum, & Orientis  
 terras propiores sibi obnoxias habet, & ad  
 Catholica castra se transiturum fratri Gui-  
 lielmo Monteferratensi per aliquantum tem-  
 pus hospiti suo promisit. Misimus etiam  
 fratres in Ægyptum ad Patriarcham Ja-  
 cobitarum ejus regionis; qui majoribus,



Sæcul. XIII.  
A.C. 1237.

*Sun. Lib.*  
*LXXIII.*  
§. 46.

quam illi ad ortum, erroribus impliciti circumcisionem quoque, ut Saraceni, adhibent: is Patriarcha pariter Ecclesie jungi se velle nobis indicavit. Plures jam errores sustulit, vetuitque, ne sibi subjecti circumciderentur. Obtemperant ei India minor, Æthiopia, & Libya præter Ægyptum: sed in Æthiopia & Libya Saraceni non dominantur. Maronitæ montis Libani pridem ad Ecclesie sinum redierunt, & sibi constant. Omnes hæc gentes in mysterio SS. Trinitatis, & in doctrinis nostris acquiescunt: soli Græci sua in malitia pertinaces ubivis Ecclesie Romane clam vel palam se opponunt. Nostra Sacramenta omnia verbis scelestis violant, & quamvis sectam a sua diversam esse malam & hæreticam perhibent. Igitur tam grandi porta Evangelio patefacta, discendis linguis intenti, scholam quolibet in cœno<sup>lio</sup> instituimus, & aliqui fratres variis jam linguis concionantur præsertim Arabica his locis communiore. Finitur epistola per mortem B. Jordani generalis Ordinis Magistri, quod demonstrat illam esse scriptam an. 1237.

*XI. ep. 172*  
*apud. Rain.*  
*n. 83.*

Philippus simul scripsit fratri Godofrido, qui Papæ a confessionibus erat, & hunc nuncium cum Prioribus Ordinis in Francia & Anglia communicavit. Cæterum Papa ad Patriarcham Jacobitarum 28 Jul. litteras dedit, quibus maximum de



de ejus conjunctione gaudium significat. *Sæcul. XIII.*  
 At Patriarcha solo Tartarorum metu hoc *A. C. 1237.*  
 ceperat consilium. Conversus ad Mu-  
 sulmannos cæterosque, a quibus spera- *Matth. Par.*  
 bat auxilium, cum nullum obtinuisset *p. 372.*  
 ad Christianos confugit, qui reapse prom-  
 ptam ei opem tulere. Periculo defun-  
 ctum suæ sectæ potentissimi permove-  
 runt, ut ab Ecclesia Romana deficeret.

## §. VI.

*Petrus Malclericus Britanniae  
 Dux.*

Sub hoc tempus Papa Gregorius Pe-  
 trum \* Drocensem, priorem Britan- \* de Dreux  
 niæ Ducem, ut sibi a consiliis esset, ad se  
 vocavit, multis magnopere mirantibus,  
 illum negotia sua difficillima Principi plu-  
 rium proditionum infamia notato crede-  
 re. Petrus Drocensis Brenius \*\* a Rege \*\* de Braine  
 Franciæ Ludovico Crasso genus ducens, *Matth. Par.*  
 in juventute sua diurnam litteris ope- *p. 369.*  
 ram Parisiis dederat, ad statum Ecclesia-  
 sticum destinatus: sed hoc omisso mili-  
 tiam secutus, cum sago Malclerici \*\*\* co- \*\*\* Mauclerc  
 gnomen induit. Hæredem Britanniae  
 conjugem nactus, ejus Dux evasit an.  
 1214, eamque annis tribus & viginti re- *Lobineau*  
 xit: at sæpe contra Francorum Regem, *hist. Brit.*  
 Dominum suum arma cepit, ac foedera *lib. 6. n. 100.*  
 cum Angliæ Rege juncta rupit. Præ- *n. 96.*



Sæcul. XIII. terea continuas fere cum Episcopis &  
 A.C. 1237. Clero provinciæ suæ controversias ha-  
Lib. 7. n. 12. buit. Anno 1217 Episcopus & Canonici  
 ei Nannetenses ejus vexationes ac vio-  
 lentas injurias Papæ Honorio conquesti  
 sunt; & anathema contra eundem ab E-  
 piscopo pronunciatum Archiepiscopus  
 Turonensis ratum habuit. Nullo censu-  
 ras fructu sequente, cum Episcopus que-  
 relas suas ad Regem Philippum Augu-  
 stum anno 1220 detulisset, Dux cum illo  
 pactiones fecit, sed non præstitit.

#. 26.

#. 52.

#. 84.

#. 119.

#. 129.

#. 137.

Etiam Episcopus Rhedonensis eum  
 a piorum communione sejunxit, & illius  
 sententiam Papa Gregorius IX approba-  
 vit an. 1228. Denique postquam ii, quos  
 Papa delegaverat, Ducis cum Episcopis  
 controversias examinaverant, eum absol-  
 verunt certis conditionibus, quas vero  
 non observavit. Itaque post quatuor an-  
 nos ob querimonias Episcoporum Baro-  
 numque Rex inquisitiones in eum institui  
 jussit, per quas patuit, eum haud semel  
 illorum jura violasse. Sed anno 1237  
 Joanni filio suo justam legitimamque æ-  
 tatem ingresso Britanniam cessit, Petrum  
 Brenium Equitem se dicere contentus.  
 Hoc in statu erat, cum Summus Ponti-  
 fex suos inter consiliarios eum retulit, vi-  
 ri nobilitatem, fortitudinem, dexterita-  
 tem ac experientiam militarem terra ma-  
 rique acquisitam considerans. Hunc  
 proin



proin dignum censuit, cui Christianum <sup>Sæcul. XIII.</sup>  
 exercitum contra ethnicos ducendum, <sup>A.C. 1237.</sup>  
 ac ærarii alendis sacris militibus desti-  
 nati dispensationem committeret.

## §. VII.

*Concilium Londinense.*

In Anglia concilium ab Ottone Legato <sup>Id. p. 377.</sup>  
 convocatum Londini celebrabatur de- <sup>to. XI. Const.</sup>  
 signato tempore, nimirum postridie octa- <sup>p. 528.</sup>  
 vam S. Martini, seu 19 Novembris. Hoc  
 primo die Legatus non comparuit, quia  
 Præfules, quæ facienda proposuerat, de-  
 creta expensuri, oraverant, ut de his in-  
 ter se consultare sibi liceret, timentibus,  
 ne quid ipsis noxium statueret. Hic ap-  
 pareret, quæ fuerit libertas horum con-  
 ciliarum, quibus Legati præsidebant,  
 afferebantque decreta jam prorsus com-  
 posita, quæ in eorum præsentia nemo  
 examinare audebat. Altero die, 20 Nov. <sup>20. Nov.</sup>  
 in Cathedrale S. Pauli templum multo  
 mane venit Legatus, cujus ad preces ibi  
 Rex variis locis ducentos fere armatos  
 abdiderat. Nam Legatus sibi haud pa-  
 rum metuebat, quia contra possessores  
 plurium beneficiorum, ac præsertim con-  
 tra spurios extremo rigore usus dice-  
 batur. Illic multitudo hominum erat  
 tanta, ut ille per eam ægre pervaderet. Ad  
 summam primum aram progressus, lineo

S 5      ibi



Sæcul. XIII. A.C. 1237. ibi amiculo, & super hoc trabea sacra murium Ponticorum pellibus instructa, mitraque ornabatur. Ducente dein Cleri ordine, duobusque Archiepiscopis Cantuariensi ac Eboracensi proxime prae-euntibus sedem suam adiit. Hæc multum elata erat, & tapetibus velisque magnificis decorata: Legatus eo ascendit, & duo Archiepiscopi ad ejus latera confederunt, Cantuariensis ad dextrum, ad sinistrum Eboracensis.

Quæ res materia litis inter eos fuit, ac Eboracensis provocationem interposuit, jus suum conservaturus. Lecto ex more Evangelio de Pastore bono, Legatus suas dixit preces, cantatum est *Veni Creator*, & Archiepiscopi, prout memoravi, confederunt. Tum Legatus eorum controversiam ipsorum juribus nihil derogando sublaturus, ita loquebatur: In litteris Pontificiis S. Paulus est ad dextram crucis per sigillum exhibitæ, & S. Petrus ad lævam: nulla tamen hos inter Sanctos contentio est, qui pari gaudent gloria, quamvis uterque suas rationes prærogativæ habeat. Sic Archiepiscopus Cantuariensis Angliæ Primas, qui Ecclesiæ omnium antiquissimæ, ipsique Londinensi S. Paulo dedicatæ præest, ad dextram federe debet. Hunc ergo sessionis ordinem diebus etiam sequentibus observarunt.

Facto



Facto silentio Legatus sedens clara voce sermoni suo initium fecit his ex Apocalypsi verbis: Erant in medio sedis, & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante & retro; dixitque hæc mystica animalia esse Præsules, qui negotia spiritualia & temporalia prudenter agere debeant, ita ut sequentia præcedentibus respondeant. Sermone finito elata & distincta voce legi iussit concilii decreta, inter quæ aliquod tangebatur illos, qui contra inhibitionem Concilii Lateranensis plura possidebant beneficia. Cum ad lectionem hujus articuli ventum esset, Gauterius Chantelupius Episcopus Vigornensis in medio confessu se erigens, deducta e capite suo mitra ad Legatum, *Sancte Pater!* inquebat, *multi nobiles cognati nostri plura possident beneficia sine Romana possidendi copia. Quidam provectæ sunt ætatis, & honorificam huc usque vitam duxerunt, hospitales pro viribus suis, ac erga pauperes liberalissimi. Perquam durum esset hos suis privare beneficiis, & ad ignominiosam inopiam adigere. Præterea dantur feroces & animosi juvenes, qui maximis se periculis prius exponerent, quam ad unicum se beneficium redigi paterentur: id quod per me ipsum sentio. Nam antequam hanc ad dignitatem vocatus essem, statueram relinquere omnia, si sub obtentu hujus decreti unicum beneficium amitte-*

Sæcul. XIII.

A.C. 1237.

Apoc. 4.6.

Sup. Lib.

LXXVII.

§. 51.



**Sæcul. XIII.** *amitterem : Et metuendum est, ne multi sint*  
**A.C. 1237.** *ita comparati. Igitur ob multitudinem*  
*eorum, quos eadem res tangit, oramus, ut*  
*Papam de hoc decreto consulas. Gaute-*  
*rius erat filius Guilielmi Baronis Chan-*  
*telupii, eodemque anno 1237 Episcopus*  
*Vigornensis evaserat. Legatus reposuit;*  
**Cap. 13.** *Si cuncti Præfules præsentés tecum hæc*  
*de re ad Papam scribent, libenter consen-*  
*tiam. Credibile est, hoc eos fecisse: ni-*  
*hilominus per aliquod ex iis decretis,*  
*quæ promulgata fuere, & quibus Conci-*  
*lii Londinensis nomina subscripta sunt,*  
*vetabatur, nequis plura habeat beneficia.*  
*Et postquam Legatus comperit, quorum-*  
*dam opinione hæc decreta non nisi tem-*  
*pore legationis suæ observatum iri, Otto-*  
*nem Clericum suum in libro autographo*  
*decretalem legere iussit, expresse docen-*  
*tem, constitutiones suas post abitum suum*  
*accurate observari debere.*

**21. Nov.**

Altero die 21 Novembris inchoata  
 sessione veniebant ab Aula missi Joannes  
 Comes Lincolnensis, Joannes Godefridi  
 filius, & Guilielmus Relæus Londini ad  
 S. Paulum Canonicus, qui Legato Regis  
 ac Regni nomine dicebant, nequid con-  
 tra Regiam dignitatem statueret. Gui-  
 lielmus reliquis recedentibus persistebat,  
 quid ageretur, visurus. Eodem die Si-  
 mon Archidiaconus Cantuariensis palam  
 petiit, ut Legatus legationis suæ diplo-  
 ma



ma recitari curaret; id quod factum. Le-  
 gebantur etiam ad Regis preces litteræ  
 Pontificiæ, per quas toti Angliæ S. E-  
 duardi festum celebrare licebat. Erant  
 autem Regi Henrico missæ anno priore  
 26 Sept. Prælecta insuper sunt jussu Pa-  
 pæ diplomata solennis in divorum nume-  
 rum adscriptionis SS. Francisci & Domi-  
 nici.

Sæcul. XIII.  
 A. C. 1237.

X. ep. 225.  
 ap. Rain.  
 1236. n. 50.

Concilium triduo duravit, & ultimo  
 die 22 Nov. lectione decretorum finita  
 Legatus solenniter incepit *Te Deum*: cun-  
 ctis surgentibus cantatum est *Benedictus*  
 cum antiphona: *In viam Pacis*, cum pre-  
 cationibus propriis in simili casu: Lega-  
 tus benedixit populo, ac nemo non ma-  
 gno cum gaudio discessit.

§. VIII.

*Decreta Concilii Londinensis.*

Hujus concilii decreta sunt triginta &  
 unum; atque in præfatione Legatus  
 solus loquitur, dicitque, eorum observa-  
 tionem se præcepisse pro potestate sibi  
 per suffragia & consensum concilii com-  
 missa. In primo capitulo vult omnia  
 templa jam prorsus constructa intra bien-  
 nium consecrari, & interim nullum ibi  
 sacrificium peragi. Putabant aliqui, pe-  
 riculosum esse, infantibus solennibus Pascha-  
 tis & Pentecostes Sabbathis sacro fon-  
 te

6. 30.

te



Sæcul. XIII. te abluere. Legatus id pro errore con-  
A.C. 1237. tra fidem habet, additque, Papam ipsum

c. 4.

illis diebus baptisma solemniter conferre,  
 ac Ecclesiam in cæteris terræ partibus  
 id solere. Condemnat ut rem indignis-  
 simam quorundam Sacerdotum avaritiam,  
 audire sacras confessiones, ac reliqua  
 Sacramenta administrare recusantium,

c. 5.

dum mercedem acceperint. In quolibet  
 Decanatu Episcopus constituet con-  
 scientiæ arbitros pro Parochis cæterisque  
 Clericis, quibus grave accidit confiteri  
 Decanis. Hi proin Clero a sacris confes-  
 sionibus esse solebant.

v. Thomass.  
 disc. p. 4.  
 lib. I. c. 29.  
 & 30.

c. 10.

Ad conjungenda duo beneficia cura  
 animarum prædita inventa erant duo  
 fraudum genera, nempe munia vicaria &  
 redemptiones. Qui habebat parocciam  
 ut Parochus, aliam insuper ut vicarius,  
 ejusque fructus omnes accipiebat ex pa-  
 ctione cum Parocho designato facta, cui

c. 9.

modicam dabat remunerationem. Vel  
 in perpetuum conducebat parocciæ pro-  
 ventus, sed tantillo pretio, ut Parochus  
 designatus pene nihil eorum reciperet.  
 Vel fructus annuos aucturus Simonicas

c. 7.

populo pensiones extorquebat. Hi bene-  
 ficiorum abusus adeo tunc erant in mo-  
 re positi, ut eos præcise condemnare non  
 auderet; sed contentus esset vetare, ne  
 locarentur Decanorum & Archidiacono-  
 rum munera, similesque dignitates, aut  
 proven-



proventus jurisdictionis spiritualis, & ad-  
 ministrationis Sacramentorum. Voluit  
 quoque, ut Ecclesiæ laicis nunquam, Cle-  
 ricis non ultra quinquennium nec nisi co-  
 ram Episcopis vel Archidiaconis eloca-  
 rentur. Ad munia vicaria quod spectat,  
 prohibuit, nequis ad ea admitteretur, qui  
 non esset Sacerdos, aut dignus, ut proxi-  
 me fieret. Voluit præterea, ut, quisquis  
 jam vicarius, sed nondum Presbyter esset,  
 intra anni spatium se sacerdotio curaret  
 inaugurari, & quodvis aliud beneficium  
 cum animarum cura conjunctum abdi-  
 cans, ad assiduam in parœcia sua præ-  
 sentiam jurejurando se adstringeret.

Prohibet, ne beneficium conferatur,  
 dum ejus possessor absens de vita vel de  
 munere suo decessisse incerto rumore di-  
 citur: collator expectet, dum in clara  
 res luce sit. Alioqui possessor novus hoc  
 sub obtentu intrusus ad restituendos fru-  
 ctus absentis, & ad ejus damna, incom-  
 modaque compensanda condemnabitur,  
 ac præterea ipso facto protinus ab omni  
 officio & beneficio ad tempus exclusus  
 erit. Pares subibit pœnas, qui propria  
 auctoritate occupaverit beneficium,  
 quod alius possidet; vel qui armata ma-  
 nu se defenderit in possessione, de qua  
 juridico ritu depulsus fuerit.

Inter-

Sæcul. XIII.

A.C. 1237.

c. 8.

c. II.



Sæcul. XIII.

A.C. 1237.

6. 12.

Interdum eadem Ecclesia pluribus dabatur Clericis sub obtentu plurium Patronorum. Sæpe accidit, ut alicui Ecclesiæ suus deesset administrator, quia nec Parochus aderat, nec vicarius, sed simplex tantum Sacerdos, sine ullo jure ad beneficium; & quando Parochus designatus ibi commorabatur, non erat par ulli fructui percipiendo, cum nec scientiam, nec mores, nec sacerdotium, ac ne vestitum quidem Clericalem haberet. Interdum etiam Patroni seu collatores non repræsentabant, vel instituebant aliquem, nisi partem fructuum pro se vel pro alio acciperent. Hæc omnia damnat Concilium. De assidua in loco præsentia, & de conjunctis beneficiis animarum cura prædicit non facit decretum novum, sed executioni dari jubet vetera præsertim ultimi Concilii Lateranensis.

6. 13.

6. 15.

Multi Clerici contracto matrimonio clandestino beneficia & sacros Ordines accipiebant. Liberi dein ex iis nati conabantur, quando sibi utile judicabant, per tabulas aut testes demonstrare, quod parentes sui nuptiis juncti fuerint. Concilium præcipit, ut illi, de quorum concubio sic inito constat, & generatim omnes Clerici conjuges ipso facto sua amittant beneficia. Bona, quæ in tali matrimonio acquisiverint, ad ipsorum Ecclesias pertinebant; & filii a sacris Ordinibus



bus ac beneficiis excludentur. Renovantur etiam statuta contra Clericos concubinis assuetos, & prohibetur, ne filiis, etiam legitimis, patrum suorum beneficia conferantur. Præcipitur, ut publicorum prædonum defensores (quibus Anglia plena erat) ab Ecclesia proscribantur.

Sæcul. XIII.

A. C. 1237.

c. 16. 17.

c. 18.

Cum gaudio comperimus, inquit Legatus, Ordinis S. Benedicti Abbates in Anglia nuper in comitiis generalibus congregatos sanxisse, ut carniū abstinentia secundum regulam deinceps observaretur. Approbamus hanc constitutionem, ac nunquam violari jubemus. Volumus præterea, ut novitii finito tirocinii anno secundum decretalem Papæ Honorii mox vota nuncupent id quod ad Canonicos Regulares & ad Religiosas extendimus. Nemo recipietur in Abbatem vel Priorem, qui Ordinem professus non fuerit. Promittit dein Legatus, se instaurandæ Regularium disciplinæ ampliore daturum operam. Episcopus Vigornensis etiam hoc punctum sua supplicatione complectitur, consentiente Legato, ut ad Papam scriberetur.

c. 19.

c. Ex parte  
22. de Regular.to. XI. conc.  
p. 529.

Is Archidiaconos commonet, ut Ecclesias inspiciant, nec tamen ipsis oneri sint, vetatque, ne extraneos secum ducant, vel jus procurationis exigant, nisi dum re ipsa eas lustrant. Nihil accipient, ut inspectionem, correctionemve omit-

Hist. Ecclesiast. Tom. XX. T tant,



**Sæcul. XIII.** tant, nec sententiis suis injuste involvent  
**A.C. 1237.** quempiam, ei pecuniam extorturi. As-  
 sistent sæpe consultationibus Decana-  
 tum, ibique Presbyteros informabunt,  
 ut Canonis in sacrificio, & baptismatis  
 verba ad horum Sacramentorum substan-  
 tiam pertinentia recte intelligant. Ar-  
 chidiaconi, & generatim cuncti Judices  
 Ecclesiastici admonentur, ne partes ab ar-  
 mica litium compositione impedi-  
 ant. Quoniam jurisdictio Ecclesiastica tunc  
 amplissima erat, reliqua decreta hanc tra-  
 ctant materiam, scilicet electionem Judi-  
 cum, jusjurandum Advocatorum, Pro-  
 curatorum constitutiones, formam vadi-  
 moniorum, seu in jus vocandi, sigilla fi-  
 de digna. Quæ in plerisque hujus ac-  
 sequentis sæculi conciliis videbimus. I-  
 stius decreta accurate observata non fue-  
 runt, ut posthac patebit.

## §. IX.

*Status Latinorum in Romania.*

**Petr. de Vin.** Interea Imperator Fridericus bellicosus in  
**Il. ep. I.** Lombardia progressus suos urgebat,  
 ubi cum magnam a Mediolanensibus vi-  
 ctoriam 27 Novembris hoc anno 1237  
 retulisset, de ea tanquam de gaudio Ec-  
 clesiæ & cunctis terræ Principibus com-  
 muni notitiam Papæ dedit, ut cum Car-  
 dinalibus Deo gratias ageret, orans.  
 Meno



Mense Decembri Laude Mediolanensium Sæcul. XIII.  
 urbe potitus, ibi Natales Christi ferias A.C. 1237.  
 inter omnia oblectationum genera egit.

Verum tam prosperi successus Imperato- Ibid. ep. 35.  
 rem in Lombardia detinentes haud pro- Ric. S. Ger.  
 movebant bellum sacrum, quod etiam p. 1028.  
 turbatæ in Romania res retardabant.

Joannis Briennii Imperatoris Constanti- Necrolog.  
 nopolitani hoc anno 1237. 23 Martii vita S. Cathar.  
 functi hæres Balduinus Curtinacensis æ- Paris. MS.

tate florens in Belgio recuperandis pa- Du Cange  
 trimonii sui terris, ac mendicando ad ia- hist. C P.  
 bans Imperium suum fulciendum auxilio lib. III. n. 26.

occupatus erat. Multi spectatissimorum  
 Franciæ Procerum vehementibus Papæ  
 exhortationibus permoti, hunc in finem  
 tesserariam induerant crucem, totidem-  
 que sacro pro recipienda Palæstina bello  
 deerant.

Petrus Drocensis Britanniæ Dux Pa- XI. ep. 351.  
 pæ significavit, se cum bis mille equiti- ap. Rain.  
 bus, & cum decem millium peditatu sa- 1238. n. 2.  
 cram militiam amplexum esse, Imperio

Constantinopolitano subventurum, & ad  
 transitum Festo S. Joannis anno 1238 in-  
 stituendum omnia præparare. Sed Pa-  
 pa edoctus, Constantinopoli jam nume-  
 rosas dari copias conductas, Petro rescri-  
 psit, ut tantum mille quingentos equites,  
 ac sexies mille pedites eo duceret. Da- Duchesne  
 bat litteras 13 Jan. an. 1238. Vera hu- to. 4. p. 409.  
 jus diminutionis ratio est, quod Constan-



Sæ cul. XIII. tinopolin a Græcis arctissime circumda-  
A.C. 1237. tam alimenta deficerent, ita ut inclusi in  
 dies aufugerent. Interim Papa in Roma-  
 niam Philippum Clericum suum misit,  
 qui in provinciis Patrarum, Corinthi, The-  
 barum, Athenarumque Ecclesiasticos im-  
 pelleret, ut suorum proventuum ac su-  
 pellectilis tertiam partem in hujus belli  
 sibi tam propinqui sumptus impenderent:

*XI. ep. 379.* & Cephaloniæ Zacynthique Comitem ex-  
*ap. Rain.* hortatus est, ut annonam & copias sub-  
*n. 4.* mitteret. Epistolam dabat 18 Jan. &

*XII. ep. 311.* 24 Novembris Regi Galliæ Sancto Ludo-  
*Rain. n. 23.* vico per litteras author fuit adducendi  
 Præfules Regni sui ad consensum, ut Cle-  
 rus tricesimam proventuum suorum par-  
 tem per triennium in suppetias Constanti-  
 nopoli ferendas insumere juberetur.  
 Tantundem scripsit ad Regem Angliæ.

Asano Bulgarorum Rege a foedere  
 Latinorum ad Græcos transeunte, Papa  
 Gregorius Belæ quarto Hungariæ Regi  
 scripsit in hanc sententiam: *Perfidus A-*  
*sanus ab Ecclesiæ unitate digressus, recipit*  
*IX. ep. 373.* *in Regnum suum, ac protegit hæreticos,*  
*Rain. n. 7.* *quibus esse refertum dicitur.* Manichæi  
 præcipue totam per Europam e Bulga-  
 ria se diffuderant, ita ut hæc velut patria  
 eorum esset. *Hæc est causa,* pergit Pa-  
 pa, *ob quam Archiepiscopis Strigoniensi &*  
*Colociensi, Episcopo Perusino Legato no-*  
*stro, & cunctis Hungariæ Episcopis man-*  
*davi-*



davimus, ut adversus *Asanum* & *Regnum* Sæcul. XIII.  
A. C. 1237.  
 ejus sacram militiam populo suadeant, ac ter-  
 ræ sanctæ indulgentias promittent. Et  
 quia Regum pietas præsertim per zelum con-  
 tra inimicos fidei effulgere debet, obtesta-  
 mur te, ut huic perversæ nationi arma in-  
 feras: pollicemur Dei nomine tibi, & o- Conc. Lat.  
IV. c. 3.  
 mnibus, qui hac in expeditione te sequen-  
 tur, plenam noxarum pœnarumque condo- Sup. Lib.  
77. n. 47.  
 nationem, & *Bulgariam* tibi cæterisque  
 catholicis bello acquirendam exponimus, ut  
 in concilio generali sancitum fuit. Datum  
 27 Jan.

§. X.

*Epistola Regis Hungariæ ad  
Papam.*

**B**ela Hungarorum Rex post quatuor  
 menses Papæ Gregorio respondit hunc ap. Rain.  
1238. n. 12.  
 in modum: *Secundum tua monita Impera-*  
*torem Græcum Vatacium, ut sanctæ Sedi*  
*se submitteret, vehementer adhortatus, effe-*  
*ctum sperabam, cum per Episcopum Pe-*  
*rusinum Legatum tuum accepi litteras, qui-*  
*bus urges, ut Asanum tanquam schismati-*  
*cum aggrediar, quamvis & amicus & af-*  
*finis sit meus; habet enim ex sorore mea*  
*filium, ac hæredem, mihi que velut subjectus*  
*paret. Vatacius quoque filio suo neptem*  
*meam uxorem dedit; est Reginae conjugis*  
*meæ frater, ac mihi conjunctissimus; se vero*

T 3

in



Sæcul. XIII. A.C. 1238. *in Asano impugnatum credet. Nihilominus meam erga sanctam Sedem reverentiam demonstraturus, Bulgariam eidem in spiritualibus, & mihi in temporalibus subjiciendam suscipiam, si consenseris in puncta sequentia.*

*Sup. Lib.  
LVIII.  
S. 8.*

*Postulo, ut legationis officium in Bulgaria nemini, præterquam mihi committatur, ita ut Diæceses ac Paræcias limitandi, & in hac prima institutione, Episcopos ex consilio Præsulum & hominum religiosorum constituendi potestatem habeam, cum omnes hæc prærogativæ S. Stephano antecessori meo concessæ fuerint. Præcipua mea eas petendi ratio est, quia, si cum Legato sanctæ Sedis Bulgariam intrarem, omnibus incolis eam non mihi, sed Ecclesiæ Romanæ etiam in temporalibus subjicere velle viderer; id quod adeo horrent, ut quam plurimi, qui sine pugna se mihi dederent, usque ad vitæ periculum se opponerent; nam sæpe Christianis, quod Ecclesiæ Romanæ mancipia sint, exprobrant.*

*Præterea, cum circa Bulgariam terra detur Zemram nomine, quæ, postquam diu deserta fuerat, incolis frequentata, sed nulli adhuc Episcopo subjecta est, eam Diæcesi, quæ mihi placuerit, attribuendi copiam posco. Hæc terra videtur esse Szreim, seu vetus Sirmium. Peto etiam, pergite Bela, ut mihi liceat crucem hoc in bello copiis meis præferendam curare; ut in Hungaria*



garia vicinisque terris anathema promulgetur contra illos, qui durante hac expeditione Regnum meum invaserint, aut suam erga me fidem læserint; Et ut nemini aggressio Hungariæ me invito permittatur. Oro denique, ut abroges cunctas Episcopi Prænestrini Legati tui constitutiones, quatenus pertinent ad anathema tam longe lateque extensum, ut in tota pene Hungaria summi, medii, Et infimi, ipsique Præsules in illud incurrerint, atque incurrant quotidie, nec idem evitare possint. Legati virtutem haud voco in dubium; sed Regni mei statum ignorabat. Dabat has litteras 17 Jun. an. 1238.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1238.

Papa 9 Augusti rescribens Regi Hungariæ solum permisit, ut ex Episcopis Regni sui, quem vellet, Legatum eligeret. Simul Fratrum Prædicatorum Minorumque Primoribus fecit copiam in provincia Strigoniensi commutandi vota omnium cruce signatorum Hungariæ militum, contra Bulgaros classicum canendi, & anathema promulgandi contra illos, qui intra sacræ hujus expeditionis tempus Hungariam adorti fuerint.

XII. ep. 211.  
212. Et.  
ap. Rain.  
n. 12. Et ap.  
Vading.  
n. 3. 4.

## §. XI.

*Papæ litteræ in Terram sanctam.*

Hierosolymis Equites Hospitalarii S. Joannis Græco Imperatori Vatacio suam

Rain. 1238.  
n. 31.



Sæcul. XIII. suam contra Latinos operam addixerant,  
A. C. 1238. donatis sibi terris ac proventibus impulsis,  
 & insuper omnis generis crimina com-  
 mittebant. His compertis Papa Grego-  
 rius ad illorum Magistrum ita scripsit:

*XI. ep. 449.* *Ut dolentes audivimus, in terris vestris pro-*  
*fligati pudoris mulierculas certis conditio-*  
*nibus detinetis, quibuscum incontinenter vi-*  
*vitis: possidetis bona tanquam propria: il-*  
*los, qui sodalitatem vestram amplectuntur,*  
*defendendos per annua remuneratione su-*  
*scipitis; & circulatores, hæreticos, prædo-*  
*nes, latronesque in vestras aedes abditis.*  
*Vos non pudet Vatacio Dei ac Ecclesie*  
*hosti contra Latinos arma & equos sub-*  
*ministrare. Stipem ordinariam minuitis.*  
*In hospitali domo vestra morientium testa-*  
*menta mutatis non sine falsitatis suspicio-*  
*ne; ac prohibetis, ne ibi decumbentes ægri*  
*sine permissu vestro aliis Sacerdotibus, quam*  
*illis, qui sunt vestri Ordinis, aut mercede*  
*vestra vilitant, sacras confessiones faciant.*  
*Quin etiam aliqui vestrum de hæresi su-*  
*specti dicuntur. Papa eos exhortatur, ut*  
*se intra tres menses corrigant: sin mi-*  
*nus, Archiepiscopum Tyrium eos ad di-*  
*sciplinam revocare jubet. Dat. 13. Mart.*  
*an. 1238.*

*XI. ep. 441.* Aliquot abhinc diebus Papa Hiero-  
*R. n. 33.* solymitanum Patriarcham & Suffraga-  
 neos ejus jusserat impedire, ne homici-  
 dæ voluntarii Ecclesiastica immunitate  
 gau-



gauderent in loca ad Religiosos pertinentia profugi, nisi hæc cœnobiorum vel claustra vel templa essent. Quæ res præcipue tangebatur domos, quas Equites Hospitalarii, Templarii que ac Teutonici possidebant. Præcepit simul Patriarchæ, ut prohiberet, ne Canonici ad sacrum Sepulchrum populo imponerent, dicendo, illuc ignem e cœlo in pervigilio Paschatis descendere, ac pro pecunia monstrando locum, ubi Christum in vincula coniectum fuisse perhiberent. Græci schismatici hanc de mirifico ad S. Sepulchrum igne fabulam etiamnum repetunt, ut ex peregrinantium narrationibus constat. Papa scripsit etiam Patriarchis Hierosolymitano & Antiocheno, ut nemo Saracenos captivos ab auditu concionum, & ab amplexu Christianæ fidei arceret.

Hic Antiochiæ Patriarcha Latinus apud Papam querebatur, quod ejusdem urbis Princeps Buamundus quintus antecessorum suorum exempla sequi, & ab ipso inaugurationem in principatum suum per vexillum & jusjurandum accipere recusaret: e contrario in Ecclesiam insurgens, ejus jura minuere conaretur. Itaque Papa ultimo Julii Archiepiscopo Tyrio, ac Episcopis Aceso & Dertoseni scripsit, ut hoc inter Patriarcham & Principem dissidium Latinis provinciæ Christianis

Sæcul. XIII.  
A. C. 1238.

*Pietro della Valle to. 3.  
lett. 13. n. 12.  
ep. 440.*

*XII. ep. 203.  
Rain. n. 35.*



Sæcul. XIII.  
A.C. 1238.

*XII. ep. 199.*  
*ep. 198. R.*  
*n. 34.*

*Matth. Par.*  
*p. 407.*

stianis tam noxium, si fieri posset, placarent. Longius ab officio recedebant cæteri populi, Græci, Armeni, Georgiani, quorum Abbates & Clerici Patriarcham agnoscere renuebant, præsertim Catholicus Armenorum. Papa tamen ad Archiepiscopos Apamæensem & Mamistranum scripsit, ut eum adirent, & ad obedientiam Patriarchæ Latino præstandam permovere conarentur: id quod magnum habuisse effectum non videtur. Sed Antiochenus Patriarcha Græcus ulterius progressus est: nam Germano Græco Patriarcha Constantinopolitano nixus, hoc eodem anno in Pontificem Maximum & in totam Ecclesiam Romanam dirum anathema contorsit. Affirmabat, Ecclesiam suam Romanæ non antiquitate solum, verum etiam dignitate antecellere. *S. Petrus*, aiebat ille, *primum Antiochiæ Sedem suam posuit, ubi debita in veneratione habitus hanc Ecclesiam septem annis gubernavit. Tum Romam petiit, ubi iniuriis, & opprobriis, ultimoque demum supplicio affectus est. Quare ligandi ac solvendi potestatem Ecclesiæ Græcæ potius quam Romanæ reliquit, quæ modo continuis usuris, sacrilegis mercatibus, & omni criminum genere contaminatur.*



## §. XII.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1238.*Concilium Conacense.*

Hoc anno 1238 die Lunæ post octavam Paschatis, nempe 12. Aprilis Geraldus Malemortius Archiepiscopus Burdigalensis cum Episcopis sibi obnoxiiis Conacensi concilium habuit. Promulgabantur octo & triginta canones de instauranda disciplina, ubi, sicut in plerisque ejusdem sæculi conciliis, apparet litigandi libido, tunc in Clero regnans. Adhibebantur falsæ litteræ: eadem pars iisdem de causis ad diversos Judices deferrebat: Clerici recipiebant cessiones litium, ut has ad tribunal Ecclesiasticum traherent. Quidam se falso dicebant Judices delegatos, vel pro delegatis substitutos, & partibus ad se accitis commissam sibi jurisdictionem monstrare haud poterant. Alii jus novum prensabant per litteras alia prius occasione obtentas. Nonnulli Judices deserti vadimonii damnabant illos, quos in jus vocatos esse non constabat. Vicissim laici ad tribunal profanum Clericos interdum adigebant sub obtentu sponsonis, cautionis, spoliationis, vel actionis mutuæ. His cunctis fraudibus concilium generalia opponit anathemata.

to. XI. p. 556

c. 1.

c. 2.

c. 6.

c. 11.

Fun-



Sæcul. XIII.

A.C. 1238.

- c. 13. Functioes Advocatorum Procuratorumque præterquam gratuitas pro Ecclesiis ac miseris hominibus interdicit Sacerdotibus, non item reliquis Clericis, quia soli tunc ad hæc munia habiles erant: monachis vero & Canonicis Regularibus ea vult esse vetita, & plures errores in eorum asceteria introductos tolli jubet. Victus iisdem ac vestitus suus in pecunia dabatur; id quod dominii approbationem præferebat: non reddebatur ratio proventuum monasterii, nec clausæ tenebantur portæ: fratres sine Superiorum permisso egressi, in oppidis & pagis comedebant, ubi commorantes sese abdiderant. Habebant peculium tanquam proprium, mutuam suo nomine sumebant pecuniam, atque prædes fiebant. Vesciebantur carnibus apud homines profanos: suscipiebant paroecias, & soli suis in prioratibus manebant. Hæc errata omnia condemnat concilium, & prohibet, ne novæ domus Religiosæ erigantur, vel sodalitates laicorum instituantur sine consensu Episcopi.
- c. 24. 27. Coërcet etiam vexationes laicorum, qui pecunias exigebant ab Ecclesiis, cœnobiis, vel domibus hospitalibus, & ibi per vim sub obtentu hospitalitatis habitabant. Quidam Ecclesiasticos comprehensos crudeliter habebant, grande his redemptionis pretium extorturi: & concilium
- c. 12.
- c. 20.
- c. 21.
- c. 22.
- c. 28.
29. 30.
- c. 33.
- 31.
- c. 3.
- c. 19.



cilium mandat, ut illorum filii ad tertiam Sæcul. XIII.  
 usque generationem nec ad beneficia, A.C. 1238.  
 nec ad sacros Ordines admittantur. Præ-  
 cipit quoque, ut ii Domini, qui per anni  
 spatium in anathemate permanferint, re-  
 nuncientur hæretici, eorumque bona fi-  
 sco addicantur.

c. 17.

## §. XII.

*Instauratio disciplinae monasticæ.*

In Anglia etiam Otto Legatus monachis  
 e solutiore disciplina veterem ad san- Matth. Par.  
 ctimoniam revocandis studebat. Cui p. 401.  
 octos Abbates Ordinis nigri, scilicet S. Be-  
 nedicti Londinum petere, ibique in tem-  
 plo S. Martini audire decreta iussit a  
 Summo Pontifice post maturam delibe-  
 rationem ad instaurandum Ordinem mo-  
 nasticum facta. Inhibebant eosdem er-  
 rores, quos Concilium Conacense damna-  
 vit, & insuper continebant ea, quæ se-  
 quuntur. Nemo deinceps admittetur ad  
 professionem ante vigesimum ætatis an-  
 num completum, nec ad sacrum tiroci-  
 nium ante decimum nonum. Post an-  
 num probationis novitius quamprimum  
 vota nuncupabit, aut dimittetur; sin mi-  
 nus, professis annumerabitur. Pro ad-  
 missione nihil exigetur, nec ulla pactio  
 fiet. Rei œconomicæ curatores admi-  
 nistrationis suæ rationem Superiori sal-  
 tem



Sæcul. XIII.  
A.C. 1238.

tem ter quolibet anno, ac residuum bona fide reddent. Silentium locis ac temporibus a regula notatis semper servabitur. Generalis in Anglia concilii (Londinensis) statutum de abstinentia carniū nunquam violabitur. Monachorum veltes ac lecti ad regulam erunt conformati: non gestabunt lintea, & eodem cœnobii loco dormient. Cunctis Ecclesiastici pensis partibus, præsertim ultimæ, ac publicæ lectioni spirituali intererunt. Hospitalitatem suaviter & amanter exercebunt. Cum regula constitutiones Summorum Pontificum huc pertinentes, atque in collectione Gregorii IX contentas describi curabunt, & solícite condiscant. Hæ constitutiones postea percentsentur. *p. 406.* Matthæus Paris ipsemet Monachus niger huic relationi subjungit, Abbates a Legato congregatos hanc instaurationem velut e cœlo delapsam concorditer recepisse, in cunctis conventibus suis jussisse promulgari, ejusque violatores rigide castigasse.

§. XIV.

*Legatus Oxonii offenditur.*

*M. Paris.*  
*p. 396.*

Otto Legatus Oxonii magno honore, ac in proxima urbi Abbatia Osneina Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini hospitio excipiebatur. A-  
cada-



cademici misso ante prandium egregio ad  
 ejus mensam munere, post meridiem ve-  
 niunt, officiosæ salutationis partes im-  
 pleturi. Verum janitor Italus porta mo-  
 dico hiatu patefacta, asperrimis perstri-  
 ctos verbis aditu prohibet. Perrupta  
 janua ferociter ingressos Romani submo-  
 vent: pugnis & baculis dimicatur. Rei  
 domesticæ administrator erat frater Le-  
 gati, qui eam ipsi commiserat, ne vene-  
 num sibi pararetur: & Academici illum  
 ludibrii causa Nabuzardanum vocabant  
 ex nomine œconomi in aula Nabucho-  
 donosoris. Ille in culina coquo dum im-  
 perat, pauperem Sacerdotem Hibernum  
 conspicit ad fores ciborum reliquias quas-  
 dam expectantem: huic in faciem aquam  
 fervidam ex aheno fundit præ ira impos  
 animi.

Tum vero Clericus quidam e confi-  
 niis Walliæ, *quantum dedecus!* exclama-  
 bat, *num ferendo sumus?* Tendebat simul  
 arcum, quem portabat: nam crescente  
 tumultu aliquot Academici, quæ cuique  
 fors offerebat, arma ceperant. Is igitur  
 emisso telo medium œconomi pectus  
 transfigit, ac exanimem humi sternit.  
 Exoritur clamor ingens: Legatus Ca-  
 nonici trabea indutus præ terrore in tem-  
 pli turrim se includit: sed noctis benefi-  
 cio dirempta pugna validum conscendit  
 equum, & ad Regem defensorem suum  
 prope-

Sæcul. XIII.

A. C. 1238.

*Monast.**Ang. to. 2.**p. 136**M. Westm.**p. 298.**4. Reg. 25.**8. juxta 70.**p. 397.*



Sæcul. XIII.  
A. C. 1238.

properavit. Interim eum Academici ubi-  
bivis quærebant, *ubi est ille fœnerator, voci-*  
*ferantes, ubinam ille mercator sacrilegus nulla*  
*satiandus pecunia, qui Regem decipit, qui*  
*extraneos nostris ditat spoliis?* Hi clamores, quos abiens audiebat, fecere, ut & iter suum acceleraret, & maximam suorum partem abditam in Abbazia relinqueret. Rex ejus querimoniis commotus mox Comitem Varennum cum numerosa militum manu Oxonium misit, ut Romanos absconditos liberaret, & Academicos comprehenderet, quorum triginta in arce vicina carceri addicti sunt. At Legatus convocatis aliquot Episcopis Oxonium interdicto affecit, Academiæ exercitia omnia suspendit, & cunctos hujus violentiæ participes a piorum communione seclusit: captivi dein Londinum translati, bonisque suis exuti fuere.

Legatus pro hac injuria satisfieri sibi cupiens, Archiepiscopum Eboracensem, & omnes Angliæ Episcopos Londini 17 Maji an. 1238 comparere voluit. Episcopi studiose considerabant, quanti momenti esset conservatio Academiæ Oxoniensis tanquam secundæ in Anglia Ecclesiæ; atque Legato exponebant, tumultum per ipsius domesticos cceptum, & Academicos denique pejus, quam illos, habitos fuisse. Consensere hitamen in satisfactionem Legato præstandam:

&



& reapse ad S. Paulum congregati usque ad illius ædes vix non mille passibus inde distantes pedibus venerunt: ibi se sine palliis, sine cingulis, sine calceis sistebant Legato, & demisse veniam petebant. Dedit hanc ille, sublato interdicto Oxonii Academiam in pristinum statum restituit, & supplicantibus litteras tradidit, per quas cavebat, ne hic casus aliquam infamiæ exprobrationem iis acciret.

## §. XV.

*Plurium beneficiorum possessio condemnatur.*

Ottoni Legato suum decretum de plurium beneficiorum possessione non optime successit. Nam Papa Episcopi Vigornensis dissertatione accepta post initam ea de re deliberationem Legato scripsit in hæc verba: *Ut comperimus, dantur in Anglia Clerici, beneficiorum plurium possessores, quibuscum si secundum constitutionem Concilii generalis ageretur, ob potentiam illorum, quos cognatione attingunt, turbaretur Regnum, & fundendi sanguinis occasio præberetur. Consideramus autem, quamvis scandali vitandi gratia nunquam committendum sit peccatum, bonum tamen faciendum differri eam ob causam posse. Itaque, si decretum contra hos Clericos*

*Hist. Eccles. Tom. XX.*

U ricos

Sæcul. XIII.  
A. C. 1238.Sup. §. 7 ap.  
Matth. Par.  
p. 394.



Sæcul. XIII. *ricos exequi sine nimio scandalo nequeas, hac  
A C. 1238. cura te supersedere volumus.*

*Duboulay  
to. 3. p. 164.  
Alberic.  
p. 561.  
Duboulay  
to. 3. p. 705.*

Guilielmus Episcopus Parisiensis hoc anno quæstionem de possessione plurium beneficiorum decidi curavit. Contra hanc steterant omnes Theologiæ Doctores, exceptis duobus, in solenni disputatione, in qua illa controversia jam fuerat agitata. Hi duo erant Philippus Greivius Universitatis Cancellarius, an. 1237 sententia sua non mutata mortuus, & Arnulphus, qui eodem anno Episcopus Ambianensis fuit. Philippus erat Doctor & Concionator celebris, sed Religiosis Mendicantibus multum contrarius. Superfunt aliquot ejus sermones.

De altero conventu Thomas Cantipratanus Ordinis Fratrum Prædicatorum ita loquitur: *Anno 1238 eram Parisiis, ubi Episcopus Guilielmus, qui Theologia Professore publicum egerat, Doctores omnes in Senaculum Fratrum Prædicatorum convocavit. Proponebatur ibi quæstio de possessione plurium beneficiorum, & post longam disceptationem facta est decisio, bona conscientia haud posse haberi duo beneficia, quorum alterum quindecim libras Parisienses pareret (hæc summa ducenas propemodum nostræ monetæ libras conficiebat; nam solidus Turonensis decem nostros pretio superabat: & Parisiensis secundum proportionem) ita pronuncia-*

*v. Leblanc.  
p. 190.*



nunciarunt Guilielmus Episcopus Parisiensis, frater Hugo Ordinis Prædicatorum, postea Cardinalis, fratres Gauricus & Godefridus ejusdem Ordinis, Frater Joannes Rupellensis Ordinis Minorum: & multi alii Theologiæ Doctores deinde in scholis suis sic statuerunt.

Habemus Guilielmi Parisiensis scriptum continens rationes damnandi possessionem plurium beneficiorum. Fatetur protinus opiniones esse diversas, illamque per complures magni nominis viros licere, ita ut contrarium decidere temerarium videatur. Quæ verba indicant, illam dissertationem fuisse scriptam ante decisionem memoratam, & fortasse priusquam author esset Episcopus. Pergit: *Si quæstio dubia est, dubium ipsum certo demonstrat non esse licitum habere plura beneficia. Nam nemo dubitat, quin sit illicitum exponere se periculo committendi peccatum mortale. Præterea opinio affirmans est illorum duntaxat, qui beneficia plura vel habent, vel habere cupiunt, atque ita in causa propria se iudices faciunt: e contrario sententiam negantem amplexi se obligant, ut nunquam nisi unicum habeant beneficium.*

Ad rationes deinde magis peculiare descendit. Ecclesiasticus proventus datur ad sustentationem illius, qui servit Ecclesiæ; nequit autem servire nisi uni-

U 2 cæ;

Sæcul. XIII.

A. C. 1238.

De Collat.

benef. c. 6.

to. 2. in fi.



Sæcul. XIII. cæ; nec debet habere sustentationem præterquam simplicem: non igitur charitas est, sed cupiditas, quæ duplicem suadet. Plura, quæ tunc simul habebantur, aut petebantur, beneficia vix alia erant, quam Collegiorum sacerdotia & dignitates: plura enim beneficia cura animarum prædita nimis odiosa erant, & nondum multa beneficia fiduciaria vel simplicia dabantur. Cuncta etiam exempla sua a Canonicis ducit author, & ostendit, diversis in Ecclesiis beneficia habentem frustrari intentionem conditorum, certum in qualibet Canonicorum numerum dari volentium. *Hæc plurimum beneficiorum possessio, ait, privat Ecclesiam magno ministrorum numero, & facit, ut ei male serviatur, dum unus sustentationem plurimum consumit. Denique manifestum est, plura habentem beneficia non in eis spiritualia nec functiones, sed temporalia tantum spectare.* Præter emolumentum præfens alia quædam ratio sacerdotia diversis in Ecclesiis Cathedralibus obtinendi desiderium tunc temporis excitabat, nimirum spes Pontificiæ dignitatis per Canonicorum suffragia consequendæ. S. Ludovicus in distributione beneficiorum ex arbitrio suo pendentium scholæ

*G. Nangis.* Parisiensis decisionem sequebatur: nam  
*p. 269.* Ecclesiastico jam beneficium habenti,  
*Guar. p.* quantumvis docto ac celebri, aliud non  
*455. to. 5.* conferebat.  
*Beche/ne.*



conferebat, nisi prius illud simpliciter & Sæcul. XIII.  
 sine pacto recipiendæ pensionis abdi- A. C. 1238.  
 casset.

## §. XVI.

*Ecclesia Anglica.*

Thomas Sabaudia Comites quindecim  
 susceperat liberos, filios novem, ac  
 sex filias, quarum in numero erat Beatrix  
 Provinciae Comes, Eleonoræ Anglorum  
 Reginæ mater. Filiorum quinque Ec-  
 clesiasticum amplexi sunt statum: Ama-  
 deus ex Carthusiano monacho Episcopus  
 Maurianensis; Guilielmus electus Episco-  
 pus Valentinus; Thomas Archidiaconus,  
 qui, cum ad Episcopatum Laufannensem,  
 ac deinde ad Archiepiscopatum Lugdu-  
 nensem nequicquam aspirasset, denique  
 Joannam Flandriæ Comitem sibi nuptiis  
 junxit; quartus fuit Bonifacius ex Car-  
 thusiano ac Priore Nantuacensi Episco-  
 pus Bellicensis an. 1232 electus; quin-  
 tus erat Philippus post Guilielmum fra-  
 trem suum in Episcopum Valentinum, &  
 tandem in Archiepiscopum Lugdunen-  
 sem cooptatus. Illa tempestate Princi-  
 pes filiis onerati Ecclesiasticas eis digni-  
 tates procurare conabantur.

Guilielmus Sabaudus electus Episco-  
 pus Valentinus Reginam neptem suam  
 visendi gratia in Angliam an. 1236 dela-  
 tus,



Sæcul. XIII.  
A.C. 1238.

tus, in Anglorum invidiam incurrit, quibus Rex hujus advenæ consilia nimium sequi videbatur. Elapso biennio Rex omnem movebat lapidem, ut eum ad Episcopatus Vigornensis Sedem tunc vacuam eveheret, quamvis juratus sæpe promississet, se ad Anglica beneficia extraneos non admitturum. At Ecclesiæ Cathedralis monachi, ad quos electio pertinebat, comperto, Guilielmum belli studiis duci, adierunt ex more Regem, atque ut sibi libera esset electio, postulabant. Rex iis suadebat, ut eligerent Episcopum Valentinum, quem avunculum vocabat suum, & monachis legatis cum reliquis fratribus suis deliberandi spatium concessit. Sed postea edoctus, eos velle Guilielmum Relium eligere, excandescens ad eosdem dicebat: *Recusastis Episcopum Valentinum, quasi hominem sanguinarum: & eligitis Guilielmum Relium, quamvis hic plures lingua sua, quam ille gladio occiderit:* jurabatque, se nunquam id permitturum. Vastatis dein Episcopatus terris, cum numerofo sæpe comitatu Episcopi domos incoluit.

Monachis Vigornensibus ad electionem congregatis Rex protinus supervenit, & ingressus senaculum, promissis eos minisque urgebat, ut Episcopum Valentinum eligerent. Illi, ut ejus iram declinarent, neque tamen iniquæ petitioni cede-



cederent, Radulphum Novavillium Episcopum Ciceftriensem, ac Regium Cancellarium postularunt. At Rex preces suas sic etiam elusas videns, Radulphum esse hominem violentum, biliosum, ac perversum dixit, Regiumque illi sigillum ademit, monachos insanos vocans, quod talem Episcopum elegissent. Duos posthæc legulejos ad curiam Romanam misit, qui largitionibus effecerunt, ut illa postulatio irrita declararetur.

## §. XVII.

*Occupatio Regni Valentini.*

In Hispania Jacobus Arragoniæ Rex ob-  
sidebat Valentiam. Nam anno 1232 *lib. 3. c. 4.*  
subacta Majorica Valentinum mox Regnum adortus, ac per annos sequentes permultis locis in potestatem redactis usque ad urbem principem progressus, eam post Pascha, scilicet mense Aprili an. 1238 oppugnare cœperat. Modicas primum numerabat copias, deinde vero numerosas ex Arragonia non solum & Catalonia, sed etiam ex Provincia, Gallia, & Anglia obtinuit: Archiepiscopus Narbonensis Petrus Amelinus ipsemet venit, equites tredecim, ac quingentos pedites ducens. Qui Valentia imperabat, Rex Maurorum erat Zain, antea Dianii Dominus: & Zeit-abuzeit ab eo pulsus, se-



Sæcul. XIII.  
A.C. 1238.

*Vading.*  
1238. n. 5.  
*Sup. Lib.*  
*LXXX.*  
*S. 7.*  
*Esc. c. 6. n. 8.*

cundum preces Fratrum Minorum Petri ac Joannis, quos anno 1231 necari iusserat, ad Deum fufas baptismum & Vincentii nomen accepit; sed occulte, ne Musulmannos offenderet: sperabat enim se coronam denuo adepturum, & permultos semper a suis partibus habebat.

Semestris obsidio Zainum compulit urbem dedere ea conditione, ut incolis falva vita & cum bonis, quæ in humeris auferre possent, abeundi libertas esset. Sic Arragoniæ Rex Jacobus Valentiam victor intravit die Martis 28 Sept. an. 1238 in pervigilio S. Michaëlis. Purgandis delubris & in Ecclesias mutandis triduum

n. 12.

impensum. Rex, postquam urbis domos, & circumjectum agrum distribuerat, adiecit animum ad leges novo huic Regno dandas ex consilio Præfulum Procerumque, suorum hoc in bello comitum. Præfules erant Petrus Archiepiscopus Tarracōnensis, Berengarius Episcopus Barcinonensis, Vitalis Oscensis, Bernardus Cæsaraugustanus, Pontius Dertofensis, Garcias Turiasonensis, ac Bernardus Vicentis: omnino septem. Inter alias leges Rex prohibuit, ne Mauri vel Judæi mancipia aliosve servos aut nutrices Christianas pro infantibus suis haberent; ne tabernas occluderent; ne diebus Dominicis ac Festis laborarent: permisit tamen, ut Mauri agros suos singulis diebus

n. 14.

fine



fine discrimine colerent, exceptis qua-  
tuor maximis anni festis. Ethnicorum  
offensionem avertendi causa noluit, ut  
pictæ aut sculptæ Christi & Sanctorum  
imagines venderentur in plateis, aut eo-  
rum statuæ e saxis publice scalperentur,  
ne informes, ac nondum absolutæ specta-  
ri possent. Immunitatem sive jus asyli  
tribuit majori Ecclesiæ Valentinæ, & S.  
Vincentii Martyris, ac urbis Patroni tem-  
plo, cunctisque primariis Regni Ec-  
clesiis.

Delubro majore in templum conver-  
so mox ad instituendum Episcopum, Ca-  
nonicos, dignitates, & Clerum intendit  
animum. Primum duodecim duntaxat  
Canonici, & quatuor munerum Curato-  
res constituti sunt, scilicet Archidia-  
conus major, Custos sacræ supellectilis, seu  
Thesauri, Chori Magister, & Archidia-  
conus Sativensis; quibus post annos vi-  
ginti additus est Decanus. Ex consilio  
Præsulum Rex in primum Episcopum  
Valentinum proposuit Fratrem Berenga-  
rium Castro-Bisibalensem Dominicanum,  
qui expeditioni Majoricensi interfuerat.  
Sed ejus electio dilata fuit ob exortam  
inter Archiepiscopos Toletanum & Tar-  
raconensem controversiam, utri nova Se-  
des Valentina esset obnoxia? Vacante  
interim Gerundana Frater Berengarius  
& Canonici in Episcopum cooptatus est:

U 5 prius

Sæcul. XIII.  
A. C. 1238.

c. 7. n. 5.

n. 6.



Sæcul. XIII. prius tamen, quam Valentia discederet,  
 A. C. 1238. Dei cultum jam in ordinem redegerat.

n. 7.

Rex Arragoniæ Papæ Gregorio in gratiam Archiepiscopi Tarraconensis scribens oravit, ut Episcopum Valentinum hujus Præsulis Suffraganeum declararet, quamvis ante invasionem Maurorum Toletano subjectus fuisset; novaque aderat ratio: nam Toletum Regni Castellani, Tarraco autem Arragonii pars erat, ad quod Valentia novo belli jure pertinebat. Et vero Papa Regis petitioni annuens, Ecclesiam Valentinam in Cathedralem Tarraconensis Suffraganeam erexit, eique Diocesim assignavit per litteras 9 Octobris anno sequente 1239 datas. Tum in suffragia itum ex consensu Archiepiscopi, Procerumque & approbante Papa, Electus autem est Ferrarius San-Martiniensis, Ecclesiæ Tarraconensis Præpositus. Rex, ut Valentinam dotaret, omnes ei tribuit Diocesanos decimas sibi proprias: nam Gregorius VII. & Urbanus II. Regibus Arragoniis ejus antecessoribus concesserant omnes decimas terrarum, quas Mauris eriperent. Rex Jacobus Vincentio \* Belvisio, quondam Regi Zeit, proventus satis amplos cum quodam Valentia palatio addixit, quod tres post menses hoc Principe consentiente Fratribus Minoribus tradidit, ut domicilium ibi collocareut.

n. 8.

\* de Belvis

Vading.

1238. n. 5.

1239. n. 16.

§. XVIII.



## §. XVIII.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1238.*Henricus Sardinie Rex.*

Mense Octobri an. 1238 Henricus, alias Henz, Imperatoris Friderici filius spurius in Sardiniam profectus, uxorem duxit Adelasiam Ubaldi viduam, Dominamque duarum provinciarum Galluræ ac Turrium, quæ septentrionale insulæ dimidium consiciebant. Ubaldus ejusque conjux hunc principatum velut ab Ecclesia Romana sibi jure fiduciario collatum tenuerant, & hoc ex capite fidem suam jurejurando Papæ Gregorio obstrinxerant: qui totam Sardiniam non solum ita, ut cæteras maris insulas, sed etiam per donationes Constantini, Ludovici pii, reliquorumque Imperatorum ad se pertinere affirmabat. Altera pars ad meridiem duas itidem provincias continebat Arboreanam & Calaritanam. Harum quatuor provinciarum Domini vocari Judices volebant. Cæterum an. 1237. 12 Maji Petrus Arboreæ Judex coram Alexandro, qui Papæ a facello, ejusque in Sardinia Legatus erat, agnoverat, se per suum fidelitatis juramentum obstrictum esse, ut omnibus Papæ mandatis obediat; ut absque ejus permisso nullum foedus ineat; ut singulis annis die Festo S. Petri Ecclesiæ Romanæ mille ac centum aureos

ap. Rain.  
1237. n. 17.Baudrand.  
Sardin.

Rain. n. 22.

Sup. Lib.  
LXXX.  
§. 64.



Sæcul. XIII.  
A. C. 1238.

aureos Byzantinos pendat. Contra Imperator Fridericus assererat, Sardiniam antiquo jam jure Imperii propriam esse, ac suos antecessores eam non amisisse, nisi quia alibi majoris momenti negotiis occupati fuissent. *Juravi autem, subjungebat, ut neminem fugit, me Imperio erepta omnia redditurum: nec oscitanter id exequar.* Ergo Henricum filium suum misit, & maxima insulæ parte potitum, Sardinia Regem declaravit.

Matth. Par.  
1239. p. 410.

§. XIX.

*Papa Imperatorem proscribit.*

Petr. Vin.  
I. ep. 6.

Matth. Par.  
p. 416.

EA res Papam gravissime commovit, refricuitque vulnera, quæ sibi ab Imperatore inflictæ jam alias conquestus fuerat. Itaque plures ei monitiones ex solenni ritu dedit, ita ut illum velle hostiliter agere facile sentiret Imperator. Qui eundem præventurus, 10 Martii Cardinalibus scripsit in hanc sententiam: *Quandoquidem Ecclesiæ lumina, & successores Apostolorum estis, omnium Papæ consiliorum participes; mirissimum est, eum iracundiæ impetu eo usque abripi, ut in gratiam Lombardorum rebellium contra Imperatorem Romanum ac Ecclesiæ defensorem gladium spiritualem stringere velit, quamquam detrimenta, quæ Ecclesiis illata esse perhibet, jam compensata sunt, aut nostro jussu pro-*  
tinus



*tinus compensabuntur. Non ferremus tantam injuriam, sed solitam Imperatorum vindictam sumeremus. Ardente proin studio oramus, ut Papæ hoc suum propositum ab impotente animo potius quam a justitia, ut omnibus constat, profectum, ne scandala pariat, adimatis.*

Sæcul. XIII.  
A.C. 1238.

Papa procedens longius Dominica Palmarum primo, dein die Cœnæ Domini sacro 24 Martii an. 1239. Romæ solenniter Friderici proscriptionem tulit. Erat concepta hujusmodi verbis:

*Ex autoritate Patris & Filii & Spiritus Sancti, Apostolorum SS. Petri & Pauli ac nostra Fridericum, qui se dicit Imperatorem, a piorum communione secludimus, quia Romæ seditionem contra Ecclesiam excitavit, ut nos & Cardinales inde pelleret contra prærogativas dignitatis, & honoris Apostolicæ Sedi proprias, contra libertatem Ecclesiasticam, & contra jusjurandum, quo se Ecclesiæ obstrinxit. Item quia Episcopum Prænestinum Sedis Apostolicæ Legatum, ne in legatione sua Albigenes insectaretur, per suorum quosdam impedivit. Rursum, quia quarundam Cathedralium, aliarumque Siciliæ Ecclesiarum Sedes vacuas repleri non patitur: unde libertas Ecclesiæ, ac ipsa fides periclitatur, cum nemo sit, qui verbum Dei proponat, & animas regat. Hic nominantur vacantes Ecclesiæ viginti numero Diocesium, inter alias*  
Catanzæ,

ap. Rain. n. 2  
Matth. Par. p. 412.  
Alb. Stud.



Sæcul. XIII. A.C. 1238. Catanæ, Regii, Scyllacci, duorumque  
coenobiorum. Deinde ob Clericos ibi ca-  
ptos, in carcerem missos, proscriptos, neca-  
tos; ob profanata ibidem, destructaque tem-  
pla Deo sacra; ob prohibitam Ecclesiæ So-  
rance reparationem.

Nec minus, quia Regis Tunetani ne-  
potem suscipiendi baptismatis ergo ad Eccle-  
siam Romanam profectum detinet: quia Pe-  
trum Sarasinum nobilem civem Romanum  
a Rege Angliæ Romam missum in custo-  
dia cohibet: quia multas Ecclesiæ Romanæ  
terras, inter alias Sardiniam invasit. Oc-  
cupatis etiam quorundam Siciliæ Nobilium  
terrīs, quas Ecclesia tenebat, vastitatem intulit.  
Aliquot Ecclesias Cathedralis, ac mo-  
nasteria quædam fortunis evertit suis, maxi-  
me per injustam inquisitionem: id exactio-  
nibus nomen dabatur. Eodem in Regno  
excuti bonis suis Templarii & Hospitalarii  
non sunt ex pacis fœdere in integrum resti-  
tuti. Ibi Præsules Ecclesiarum & Abba-  
tes Cistercienses aliorumque Ordinum co-  
guntur pro construendis novis arcibus cer-  
tam quot mensibus pecuniæ summam sol-  
vere. Præterea, qui Ecclesiæ partes deser-  
derunt, contra pacis conditiones omnibus  
orbati bonis ire in exilium, uxoresque ac  
liberos suos captivos relinquere compellun-  
tur.

Denique illum proscribimus, quia im-  
pedimenta infert, ne Terræ sanctæ mittantur  
suppe-

Du Cange.  
Gloss. Inqui-  
sitio.

Sup. Lib.  
LXXIX.  
S. 65.



*suppetiæ, & Romanicæ Imperium recuperare-*  
*tur. Et omnes, qui jurejurando suam illi*  
*fidem obligarunt, ab eo absolutos declara-*  
*mus, stricte prohibentes, ne illud observetur,*  
*quamdiu proscrip-tus manserit. Quod atti-*  
*net ad vexationes Nobilium, pauperum, vi-*  
*duarum, & pupillorum, Fridericus se man-*  
*datis Ecclesiæ obtemperaturum alias jura-*  
*vit; idcirco eum monebimus, & quod æqui-*  
*tas postulat, faciemus. Sed ob puncta præ-*  
*cedentia, de quibus sæpe a nobis & soli-*  
*cite admonitus haud paruit, illum proscribi-*  
*mus. Cæterum, quia ob dicta factaque sua*  
*per totum pene orbem haud levi laborat infa-*  
*mia, velut si de fide catholica non recte sen-*  
*tiret, hac in re Deo juvante, juris ordinem*  
*tenebimus.*

Imperator Fridericus Pascha hoc an-  
 no 1239 in 27 Martii incidens Patavii  
 magna inter oblectamenta transege-  
 rat, cum de intorto in se anathemate  
 nuncium accepit, & iracundia flagrans  
 Romanis per litteras vehementer expo-  
 bravit, quod rem tam indignam ferentes  
 ipsum contra Papam non defenderint.  
 Hortatur, ut hanc maculam suam eluant,  
 injuriam ipsi factam ulciscendo: alioqui  
 minatur fore, ut ex ipsius gratia tanquam  
 ingrati excidant.

Interim Papa ad omnes Christiani  
 orbis Præsules circummisit epistolam  
 hunc in modum scriptam: *Nemo est, qui*  
*nesciat,*

Sæcul. XIII.  
 A.C. 1239.

Mon. Pad.  
 Sigon. R.  
 Ital. lib. 18.

p. 53.  
 Petr. Vin.  
 I. p. 7.

Matth. Par.  
 p. 415.

ap. Matth.  
 Par. p. 423.  
 to. XI. conc.  
 p. 337.  
 Rain. 1239.  
 n. 13. 15.



**Sæcul. XIII.** *nesciat, quanta cura Sedes Apostolica Fridericum ab infantia protexerit, ut ei Siciliam conservaret, & quomodo eum ad dignitatem Imperatoriam evexerit. At beneficentiæ tam parum respondit, ut de suis erratis sæpe admonitum punire invicti cogamur.*  
**A.C. 1239.** Tum Papa querimonias suas contra Fridericum, sicut in litteris proscriptionis, percenset, additque: *Quare vobis præcipimus, ut singulis diebus Dominicis ac Festis inter æris campani sonitum omnibus locis jurisdictioni vestræ obnoxiiis hanc sententiam promulgetis. Hæc epistola data est 11 Aprilis, & missa Legatis, velut Ottoni in Angliam, & Episcopis locorum, ut Archiepiscopo Rothomagensi ac ejus Suffraganeis; inscripta etiam Regibus, Ducibus, Comitibus ac Optimatibus cum mutationibus cujusque dignitati congruentibus.*

## §. XX.

*Imperatoris Apologia.*

**Petr. de Vin.** *Etiam Fridericus ad Reges ac Principes*  
**l. ep. 21.** *litteras dedit, in quibus omnes de*  
**Matth. Par.** *Gregorio conquirendi causas, quas habere se dicebat, ab initio Pontificatus ejus*  
**p. 451.** *repetit. Erat amicus noster, ait, in minore honoris gradu: sed ut primum Summus Pontifex evasit, omnium beneficiorum, quibus Imperatores Christiani Ecclesiam ditaverunt,*  
*imme-*



immemor suam contra nos malignitatem exercuit. Nam occasione sumpta ex eo, quod scandali vitandi causa ad terram sanctam certum intra tempus petendam jurejurando & sub anathematis pœna nos adstrinxerimus, nos ab Ecclesia sejunctos, quamvis morbo detineremur, declaravit, addiditque plures alias hujus censuræ rationes, de quibus nunquam commoniti fueramus. Demisse tamen huic censuræ, cui nos ultro subjeceramus, morem gessimus, ac recepta sanitate absolutionem poposcimus, iter transmarinum adornantes. Papa nobis eam denegante, votum Deo nostrum persolvimus, illum potius divini cultus promovendi, quam explendi odii sui rationem habiturum esse rati. Sed e contrario omnis generis obstacula nobis in Syria posuit: immo Legatos suos jussit Sultanum per litteras monere, ne loca sacra ad nostrum Regnum Hierosolymitanum pertinentia nobis redderet: interceptas litteras asseruimus. Ad hæc Papa in nostram Siciliam armatam immisit manum, causatus, Raynaldum demortui Umbricæ Ducis filium in Ecclesie terras ingressum parare; id quod nobis insciis faciebat, prout eum castigando postea satis monstravimus. Interea Papæ copiarum Duces spargebant rumorem, nos in Sicilia captos esse.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1239.

Sup. Lib.  
LXXIX.

§. 37.

Sup. Lib.  
LXXIX.

§. 43.

Ab itinere transmarino reduces, omisso ultione nos defendere contenti, pacis consilia libenter audivimus: sed ipso reconciliationis  
*Histor. Eccles, Tom. XX. X die*



Sæcul. XII.  
A. C. 1239.

die nos Papa, ut fidelium subditorum metui parcentes sine copiis in Italiam rediremus, vehementer urgebat, cunctas difficultates se nobis complanaturum spondens. Omnia tamen alia eum egisse, indicant ejusdem epistolæ ac nuncii. Et vero rebelles e quavis parte filio nostro ac Proceribus e Germania ad nos venientibus claudebant vias, ita ut remittere illos, & Siciliam repetere cogeremur. Ibi quietem gustabamus aliquam, cum Papa se nobiscum Imperii jura tuiturum pollicitus nobis insitit, ut contra Romanos (qui nobis erant fidi) & contra quosdam Hetruscos seditiosos moveremus. Cedentes proin ejus precibus bellum indiximus Romanis Viterbium tunc obsidentibus: & interim ille secreto Romam scripsit, nos se inconsulto ex odio Romanorum sic agere. Tum orta in Sicilia seditio Messanam nos ire compulit: & confestim Papa sine nobis ad pacationem cum Romanis accessit, haud considerans, nos sibi magnum copiarum numerum auxilio misisse, cum ipsimet nostris contra rebelles armis nudati maneremus.

Interea intentionum nostrarum puritas nostrumque erga Ecclesiam studium nondum permittebant, ut malam Papæ voluntatem intelligeremus. Itaque satisfactionem nobis debitam ejus arbitrio permisimus. Sed ejusdem opera res Italiæ componendi spem penamissam, occasionemque faventem subito nobis offerre visa est discordia Papam inter ac  
Roma-



Romanos renovata, in qua pro Ecclesia Sæcul. XIII.  
tam large profudimus opes nostras, & nos A.C. 1239.  
ipfos ita exposuimus, ut omnem de nobis  
suspicionem malam extinctam crederemus.  
Longius progressi, sponte nos Papæ præsen-  
tes stitimus una cum dilecto filio nostro  
Conrado electo Rege Romanorum, ac Regni  
Hierosolymitani hærede, qui nobis instar  
unici filii tunc erat, cum frater ejus in nos  
insurrexisset. Nec dubitavimus illum Pa-  
pæ in obsidem nostræ cum Ecclesia reconcilia-  
tionis offerre: cumque Papa & tota ejus  
Aula bonæ voluntatis specimina nobis da-  
ret, controversias, quæ tum nobis cum Lom-  
bardis, tum civibus Ptolemaidis cum or-  
dine Nobilium intercesserant, illius judicio  
plane relinquendas censuimus. Ita de pro-  
spéro rerum nostrarum exitu confidentes, Ec-  
clesiæ subsidio alacres venimus cum nume-  
roso exercitu e Germania Italiaque magnis  
sumptibus collecto, nec ab expeditione nostra  
prius destitimus, quam Ecclesiæ suam liber-  
tatem Romæ oppressam, & foris terras ini-  
que ademptas redderemus.

## §. XXI.

*Imperatoris de Papa querelæ.*

Audite jam, qualem nobis gratiam Chri-  
sti Vicarius pro talibus obsequiis retu-  
lerit! Primo ad negotium transmarinum  
quod attinet, quæcunque Archiepiscopus Ra-  
vennas,



Sæcul. XIII. A.C. 1239. *vennas, Nuncius Apostolicus secundum præcepta sibi tradita constituerat, ut nos in pristinam possessionem nostrorum jurium ad Regnum Hierosolymitanum mitteret, ex adventu Archiepiscopi Cæsarensis omnino destructa fuere non expectato Nuncio, vel nostra ad Aulam Romanam legatione, aut longiore spatio, quam quod ad numerandos aureos Byzantinos Papæ allatos necessarium erat. Quantum ad res Italicæ spectat, tantum aberat, ut eas secundum promissionem suam in modum nobis & Imperio honorificum componeret, ut nulla precum nostrarum ratione habita nec nostros revocaret hostes, qui in Lombardia & in Hetruria subiectos nobis ac fidos cives expilabant, nec copias in usum Ecclesiæ comparatas illuc ducendi potestatem nobis faceret. Denique Papam rationibus nostris pacique Italicæ faventem habendi spe perditâ, ad arma conversi, accivimus militem, quem in Germania conducere Henrici filii nostri seditio nol compulerat. Id edoctus Papa per litteras, ne Italiam armati intraremus, prohibuit, auxilii Terræ sacre ferendi causa indicias esse inducias causatus, cum tamen eodem die, quo induciæ promulgatæ sunt, nos orasset, ut in sui gratiam contra Romanos moveremus. Addebat eadem in epistola, Lombardicum negotium suo arbitrio sine ulla conditione permittendum esse. At quia nec sententia nostri consilii, nec præteritorum ex-*  
perim-



perientia id nobis suadebat, ille alia utens ar-  
 te, Episcopum Prænestinum ad nos misit, quem in litteris suis tanquam virum san-  
 ctum nobis commendabat, qui tamen Placentiam nobis parentem ad Mediolanensium  
 factionem reduxit, & per quem Papa se corrupturum fidem civium nobis subditorum,  
 ac nostros in Italia progressus cohibitorum confidebat. Hac spe abrupta, vastitatem per  
 arma nostra rebellium agris illatam videns, litteras ac Legatos in Imperium, totum-  
 que per orbem misit, ut quos posset, omnes ab obedientia, & amicitia erga nos sua aver-  
 teret. Quo comperto, vincere bono malum etiamnum volentes, ad Sedem Apostolicam  
 Legatos misimus, nempe Berardum Archiepiscopum Panormitanum, Episcopos Flo-  
 rentiolanum ac Rhegiensem, Magistrum Thaddæum \* Sueffum magnæ curiæ nostræ Ju-  
 dicem, ac Rogerium \*\* Porcastrellium, sacel-  
 lo nostro Præfectum. Hanc Cæsar legationem ad Papam misit Anagninæ com-  
 rantem mense Augusto 1238.

Sæcul. XIII.  
 A.C. 1239.

v. Ital. Sac.  
 to. 8. p. 407.

\* de Sueffe  
 \*\* de Porca-  
 Ric. S. Ger.  
 p. 29.

Fridericus in litteris ita pergit: Pa-  
 pa, quæ Legati proposuerant, ex consilio  
 Cardinalium rata habuit, ac redeuntibus Ar-  
 chiepiscopum Messanensem adjunxit, pro-  
 gressuum nostrorum impedimenta se ubique  
 sublaturum pollicitus. Id totum demon-  
 strant omnium horum Præsulum litteræ. Sed  
 antequam Legati nostri ac ejus Nuncius  
 ab aula Romana tridui itinere abessent, in



sæcul. XIII.

A.C. 1239.

Lombardiam Gregorium Montelongium cum Legati munere misit, qui postea Mantuanos, cæterosque servitiis nostris addictos evertere conatus est. Præterea ad quosdam Italicae, Germanicaeque Præfules in aula nostra agentes misit litteras, maculandæ famæ nostræ idoneas, certaue puncta continentibus, singulariter de existimatis Ecclesiarum Siciliae vexationibus, de quibus admoneri nos per hos Præfules volebat. Hæc puncta omnia cum responsis nostris in forma justissimæ authoritatis ac fidei vobis mittimus. Rem totam & singula rei capita Optimatibus, Præsulibus, multisque diversorum Ordinum Religiosis exposuimus, quos tanta Papæ levitas in ruborem dedit; & tamen ex eorum consilio Archiepiscopum Panormitanum, Thaddæum, ac Rogerium Legatos nostros, cum Oratoribus civitatum nobis fidelium ad Papam remisimus, cui nostro nomine declararunt, nos ad omnem satisfactionem ipsi sine mora præstandam paratos esse.

At furorem propterea non ponens, cum Legatos nostros talibus pacis consiliis instructos unius tantum diei itinere Roma abesse sciret, propere ac præter morem Ecclesie Dominica Palmarum primum dein die Cænce Domini sacra contra nos sententiam pronuntiavit, per quam, ut dici audivimus, nos ab Ecclesie corpore segregavit ex consilio quorundam Cardinalium Lombardo-

rum



rum, quamvis sanior reliquorum pars ob-  
 sisteret. Et per satellites suos pauperum  
 damno conductos Legatis nostris, qui jam ad-  
 venerant, aditum præcluserunt, ne rationes no-  
 stras proponerent, ac innocentiam nostram  
 demonstrarent. Quamvis autem, peculia-  
 res rationes nostras & Papæ dedecus si spe-  
 ctemus, hic agendi modus in rem nostram  
 sit; haud parum tamen nos affligit, dum Ec-  
 clesie communis matris nostræ honori con-  
 sultum volumus. Sed neque credimus, il-  
 lum nobis potuisse jus nostrum tribuere, etsi  
 nobis injuriam facere potuerit: nam eum non  
 agnoscimus Judicem nostrum, cum se jam  
 nostrum hostem capitalem professus esset, ci-  
 vibus in nos seditiosis, ac Imperii hostibus  
 publice favendo. Immo indignum, qui au-  
 thoritatem Pontificiam exerceret, se reddidit  
 protegendo Mediolanum, cujus maximam  
 partem hæretici incolunt, ut idoneis autho-  
 ribus compertum habemus.

Declaramus etiam, pro Christi Vicario  
 non habendum esse hominem, qui, cum se-  
 cundum Ecclesie disciplinam non nisi post  
 maturam deliberationem consultis Cardina-  
 libus solutiones a legibus facere deberet,  
 illas suamet manu scriptas & obsignatas  
 in conclavi suo clanculum vendit. Insuper  
 prævaricatio est, quod Nobiles Romanos  
 quosdam sibi addictos, nobis insensos red-  
 dere conetur, nec pecuniis solum, sed & arci-  
 bus ac terris donet, patrimonium Ecclesie

Sæcul. XIII.  
 A.C. 1220.



Sæcul. XIII. Romance, cujus defensor sumus, dissipans.  
 A. C. 1239. Nemo igitur miretur, si sententiam talis Ju-  
 dicit negligamus, non per contemptum Pon-  
 tificiæ dignitatis, cui parere Christiani omnes  
 & nos præ aliis debemus, sed ob vitium viri,  
 qui tanto honore indignum se reddidit. Atque  
 ut universi Principes Christiani non impo-  
 tente nos in Papam animo, sed recta inten-  
 tione ferri intelligant, Sanctæ Ecclesiæ Ro-  
 mance Cardinales per sanguinem JESU  
 Christi & per divinum judicium obtestamur,  
 ut concilium generale, eoque Legati nostri  
 cæterorumque Principum convocentur; quo-  
 rum in præsentia præsentibus & ipsi hæc omnia,  
 quæ diximus, plana faciemus. Quacunque  
 cura conscientiam nostram perscrutemur, no-  
 bis occurrit nihil, quod hanc Papæ vexa-  
 tionem nobis accire potuerit, nisi quod inde-  
 corum fore duxerimus, si cum eo de nepte sua  
 Henrico filio nostro naturali, modo Turrium  
 & Galluræ in Sardinia Regi, nuptiis jun-  
 genda ageremus.

Vos itaque, Reges ac Principes terræ,  
 vos non mei tantum sed & Ecclesiæ com-  
 miseratio tangat. Injuriam, quæ mihi fa-  
 cta est, vobis illatam credite: afferte aquas  
 ad extinguendum ignem vestra in vicinia  
 accensum! Simile vobis discrimen immi-  
 net: videntur reliqui Principes haud ægre  
 deprimi posse, quando Imperator obteritur,  
 qui ictus eis intortatos excipere debet. O-  
 ramus proin, ut nobis auxilio veniatis:  
 non



non quod propulsandæ injuriæ impares si-  
mus, sed ut orbi universo constet, profa-  
norum Principum vel uno impetito to-  
tius corporis honorem lædi. Epistola da-  
ta est Tarvisii 20 Aprilis.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1239.

## §. XXII.

*Responsum ad Papæ querimonias.*

**M**issa simul ad Papæ querelas respon-  
sio est alia epistola fusa, ad Papam  
Würzburgensis, Wormatiensis, Vercel-  
lensis, & Parmensis Episcoporum nomi-  
ne anno præterito durante reconciliatio-  
nis cum Papa negotio scripta, & respon-  
sum ad puncta continens, de quibus is  
Imperatorem per illos Præsules admone-  
ri volebat. *Hæc illi exposuimus, ajebant, Sup. §. 1.*  
Et spe nostra multo submissiorem inveni-  
mus. Archiepiscopi Panormitanus & Mes-  
sanensis cum Episcopis Cremonensi, Lau-  
dano, Novariensi, & Mutinensi præsentis  
erant: complures etiam Fratres Prædica-  
tores Minoresque illuc vocaveramus. Im-  
perator ad omnia plene ac distincte respon-  
dit, ut sequitur. Puncta quatuordecim a  
Papa missa, ac vix non eadem, quæ dein  
litteræ proscriptionis exhibebant, cum  
Imperatoris ad singula responsis percen-  
sentur.

ap. Matth.  
Paris. p. 417

*Punctum I.* Ecclesiæ Montis Rega-  
lis, Cephælædis, Catanæ, ac Scyllacei,  
X 5 cum



Sæcul. XIII.  
A.C. 1239.

cum tribus cœnobiis orbatae sunt omnibus fere bonis suis: ac pleræque Cathedralis, aliæque Ecclesiæ cunctos pene subditos amiserunt per injustas exactiones. *Responsum.* Quod ad has vexationes Ecclesiarum generatim spectat, aliquæ per ignorantiam perpetratae, ac protinus compensari iussæ sunt; aliæ reipsa jam compensatae fuerunt, ut liquet ex actis Guilielmi \* Tocto, qui nobis a secretis est, quem etiam per aulam Romanam iter facere, Archiepiscopum Messanensem consulere, & quæ contra leges facta videret, retexere iusseramus. Papa de homine mentionem fieri audiens, ejus rationem agendi approbasse dicitur. *Responsio* dein descendit ad singula, quæ ad diversas Ecclesias attinent.

*Punctum II.* Templarii & Hospitalarii suis exuti bonis non sunt ex pacis foedere in integrum restituti. *Responsum.* Verum est, his Equitibus secundum veterem Siciliae constitutionem adempta fuisse prædia beneficiaria & ignobilia, quæ per donationem ab Imperatoris hostibus acceperant, quibus ad expilandum per pueriles ejus annos Regnum arma & alimenta subministrabant. Sed relictae sunt illis terræ, quas ante obitum Regis Guilielmi possidebant. Erepti eisdem sunt etiam quidam fundi plebeji, quos emerant, & quos in Sicilia acquirere non possunt,



possunt, nisi ea conditione, ut post anni <sup>Sæcul. XIII.</sup>  
 spatium aliis eos civibus vendant, alioqui <sup>A. C. 1239.</sup>  
 modicum intra tempus omnes Regni ter-  
 ras sibi comparaturi. Hic videmus, un-  
 de orta sit hæreditatum ad manum mor-  
 tuam, ut vocant, devenientium e cadu-  
 cis exemptio, & opum recens acquisita-  
 rum taxatio.

*Punctum III.* Imperator haud per-  
 mittit, ut Cathedralium aliarumque Ec-  
 clesiarum Sedes vacuæ repleantur. *Re-*  
*sponsum*: Consentit & vult, ut hoc fiat  
 falvis juribus, quibus Reges priores gavi-  
 si sunt, & ipse modestius, quam ullus eo-  
 rum, usus est, inaugurationibus Præsuli-  
 um nunquam se opponens. *Punctum IV.*  
 Ecclesiis ac cœnobiis extorquentur ve-  
 ctigalia & pensiones contra pacis tracta-  
 tum. *Resp.* Clero collectæ ac tributa  
 imponuntur non ob bona Ecclesiastica,  
 sed ob prædia fiduciaria & ob patrimo-  
 nia secundum jus commune ubique gen-  
 tium observari solitum. *P. V.* Præsules  
 non audent in fœneratores animadver-  
 tere. *R.* Constitutionem novam edidi,  
 quæ illos ad jacturam bonorum suorum  
 omnium condemnat, & Præsules ab iis-  
 dem insectandis non impedit. *P. VI.*  
 Clerici conduntur in carcerem, proscri-  
 buntur, necantur. *R.* Clericos in custo-  
 diam datos esse haud comperi, nisi quod  
 Prætores mei quosdam comprehende-  
 rint



Sæcul. XIII.  
A. C. 1239.

rint ad tribunalia Præfulum pro criminum ratione mittendos. Nonnullos læfæ Majestatis reos e Sicilia expulsos novi. Ad cædes quod attinet, ex impunitate Clericorum monachorumque aliquas oriri scio: monachus Episcopum Venufinum, monachus in Abbatia S. Vincentii monachum peremit: neuter pœnas canonicas subiit. *P. VII.* Tempa consecrata profanantur ac destruuntur. *R.* Nullum scio nisi Nucernum, quod prævetustate collapsum dicitur, & quod cum Episcopo reædificare paratus sum. *P. VIII.* Reparatio templi Sorani non permittitur. *R.* Permitto, ut reparetur templum; non vero, ut urbs instaretur, quæ ex sententia Judicis everfa fuit.

*P. IX.* Qui turbulento tempore partes Ecclesiæ amplexi sunt, omnibus fortunis suis spoliati solum vertere coguntur. *R.* Manent in Regno securi omnes, præterquam illi, quos abegit metus, ne gestorum munerum rationem reddere compellantur, vel in re civili aut capitali ad tribunal vocentur. Nunc eos audio redire tutissimos, dummodo actoribus satisfaciant. *P. X.* Imperator captum Regis Tunetani nepotem detinet, nec ad Sedem Apostolicam suscipiendi baptismatis causa venire passus est. *R.* Regis Tunetani nepos adiit Siciliam, non ut baptismum acciperet, sed ut mortem sibi



fibi a cognato intentatam effugeret. Nec <sup>Sæcul. XIII.</sup> captivus tenetur, sed in Apulia deambu- <sup>A. C. 1239.</sup> lat, & rogatus, an sacro fonte ablui cuperet, præcise negavit. Si tamen cupiat, gaudebo magnopere, ut jam dixi ad Archiepiscopos Panormitanum ac Messanen- sem. *P. XI.* Petrus Sarasinus & Frater Jordanus in custodia habentur. *R.* Jussi Petrum Sarasinum comprehendi tanquam inimicum meum, Romæ & alibi famæ meæ obtrectantem. Nullum ei negotium Rex Angliæ injunxerat, sed litteras tantum dederat, quibus me orabat ut homini parcerem, si caperetur. Sed nullam precum rationem habui, quia Rex ignorabat, quid ille vir contra me moliretur. Fratrem vero Jordanum in custodiam dari non jussi, quamvis in sermonibus suis maledico me dente carpsisset: sed e ministris meis aliqui, qui ejus mores & artes norunt, sibi persuasum habent, ejusdem mansionem in Marchia Tarvisiana & in Lombardia mihi noxiam fore. Quare illum asseri in libertatem volui, si sponsorem daret, se his in provinciis haud commoraturum.

*P. XII.* Imperator Romæ seditionem commovit, per quam & Papam & Cardinales pellere, ac prærogativas Apostolicæ Sedis tollere cogitabat. *R.* Nullas ego Romæ turbas excitavi contra Ecclesiam. Sed Romæ habeo servos meos,



Sæcul. XIII.  
A. C. 1239.  
 meos, sicut antecessores mei habuerunt suos; & quia interdum contigit, ut Senatores ob authoritatem hominum illis infensorum electi eisdem nocere vellent, illorum defensionem suscepi. Tumultus ille tunc erat, cum Senator quidam communibus suffragiis electus est. *P. XIII.* Imperator Episcopum Prænestinum sanctæ Sedis Legatum custodia septum teneri iussit. *R.* Ne somnians quidem iussi: quanquam iubendi ratio mihi non defuisset, cum esset inimicus meus, & magnam Lombardiæ partem adversus me concitasset. *P. XIV.* Imperator belli sacri negotium retardat ob suas cum quibusdam Lombardis controversias, in quibus præstandam illi satisfactionem procurare paratus est Papa. *R.* Sæpe rem Lombardicam Papæ arbitrio reliqui, sed nullo fructu. Primum Lombardi condemnati sunt ad subministrandos quadringentos equites, quos Papa in Regnum contra me misit. Deinde damnati sunt ad mittendos equites quingentos, qui fuere ad iter transmarinum destinati; id quod executioni datum non est. Quid multa? illo medio rem conficere nunquam potui. Talia erant Imperatoris responsa ad Papæ querimonias, qui ea sufficere haud censuit, cum easdem querelas in litteris proscriptionis repetierit.



## §. XXIII.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1239.*Alia Papæ contra Fridericum  
epistola.*

Cum vero vidisset Friderici epistolam <sup>apud. Rain.</sup>  
ad universos Principes circummissam, <sup>1239. n. 22.</sup>  
edidit aliquam ad omnes pariter Princi- <sup>Matth. Par.</sup>  
pes, & cunctos ad Præsules scriptam, quæ <sup>p. 455.</sup>  
fufissima est, atque sic inchoatur: <sup>to. XI. Conc.</sup>  
*Ascen-* <sup>P. 340.</sup>  
*dit e mari bestia plena nominibus blasphemice*; sequitur reliqua hujus bestię descriptione ex Apocalypsi desumpta. Hęc bestia est Fridericus secundum Papam Gregorium, qui suis in litteris omnia, quæ is Princeps contra ipsum scripserat, evertere conatur tanquam mendacia & calumnias. Repetit, quidquid ab initio Pontificatus sui accidisse meminit. <sup>Re-</sup>  
<sup>Sup. Lib.</sup>  
fert, Fridericum an. 1227. iter in Terram <sup>LXXIX.</sup>  
sanctam recusasse per speciem morbi, <sup>§. 37.</sup>  
quem semper pro figmento habet; & <sup>Ibid. §. 46.</sup>  
oblique illum de morte Provincialis Thuringiæ Comitis accusat, memorans, veneno hunc ab illo necatum dici. Tum de Friderici in Syriam itinere, ac ignominioso cum Sultano foedere loquitur. Ad exprobrationem, quod per Legatos suos impedierit, ne Fridericus Regnum Hierosolymitanum reciperet, nihil reponit aliud, quam hominem prudentem id credere haud posse.

Dein-



Sæcul. XIII.  
A.C. 1239.

Deinde narrat, Raynaldum Friderici opibus & clientibus beneficiis suffultum, secundum ejus litteras auro ob-signatas in Italia Ecclesiæ terras invasisse. Opum fontem exsiccaturos Ecclesiæ servos bellum in Siciliam intulisse, ac hujus incolas Apostolicæ Sedi tunc parendo jusjurandum Friderico juratum non violasse, utpote per proscriptionem contra hunc latam illius religione solutos. Ad bellum Lombardicum veniens, *Eventus docuit, ait, Fridericum hanc regionem fuisse sui juris facturum clementia potius quam severitate adhibita populis oberrata sua jam trepidantibus, ac perperam egisse, quod in suum commodum eos inter se committens, eorundem dissidia foveret.*

*Conc. p. 346.*

Postquam Papa iteravit, quæ in epistola priore dixerat de curis, quibus Ecclesia Romana Fridericum a puero complexa erat, de ingrato hujus erga illam animo, ac de oppressis Ecclesiis Siculis: transit ad innocentiam Episcopi Prænestini sui in Lombardia Legati, dicitque, huic Præfuli non posse vitio verti, quod Placentiæ cognatos inter se discordes in gratiam reduxerit, nihil se contra Imperii jura facere asseverans. *Ad Gregorium Montelongium quod attinet, detulimus ei, pergit Papa, legationem Lombardicam, bellum præventuri, cum malam Friderici fidem cerneremus, per Archiepiscopum Pa-*  
*normi-*



normitanum, cæterosque Legatos suos no- Sæcul. XIII.  
 bis omne satisfactionis genus offerentis, si- A. C. 1239.  
 mulque per viam facti Sardiniam, & ad  
 Ecclesiam pertinentes Diceceses Massensem  
 Lunensemque occupantis.

Ad illud, quod a Friderico sacra Se- p. 347.  
 de indignus censeretur, Fatemur, inquit,  
 nos & meritis & viribus tanto muneri  
 esse impares: fungimur tamen illo, quan-  
 tum possumus, & quando necessitas petit,  
 ex plenitudine potestatis nostræ hominibus  
 præclaris legum gratiam facimus. At Fri-  
 dericus, qui in ipsas functiones ac spiri-  
 tualem potestatem Episcoporum involare  
 vellet, Ecclesiæ firmitatem labefacere sæpe  
 tentavit, castella & suos inter nostrosque  
 cognatos connubia nobis offerens. Repul-  
 sam ferens ut toti aulæ nostræ cognitum  
 est, vilissima utitur arte in nos transferen-  
 di, quod ipse fecit. Hoc pertinet ad pro-  
 positionem conjugii Papæ neptem inter  
 ac Imperatoris filium naturalem. Ad-  
 dit Papa: Deus permisit, ut Fridericus i-  
 psemet in litteris suis intimos obcæcati a-  
 nimi sensus detegat, audacter negans a no-  
 bis tanquam Christi Vicario se proscribi  
 potuisse. Ergo asserit, Ecclesiam non habe-  
 re potestatem ligandi & solvendi, a Do-  
 mino nostro S. Petro ejusque successoribus  
 datam: hæresis hæc est capitalis, e qua  
 concludi potest, eum cæteros fidei articu-  
 los non magis credere. Sed, ut vidistis  
 Hist. Eccles. Tom. XX.      Y      modo,



Sæcul. XIII  
A. C. 1229

modo, *Fridericus in epistola sua expresse dicit, se Gregorii sententiam negligere, non per contemptum authoritatis Pontificiæ, sed propter nos tanquam hominem ea indignum: atque ut demonstret, se iudicium Ecclesiæ non abnuere, conuocationem concilii postulat.*

Papa subjungit: *Indicia, quid ille credat, certiora habemus. Dixit, toti orbi tres imposuisse deceptores, Christum, Moysen, ac Mahometem, postponens Christum cruci affixum cæteris duobus in gloria mortuis. Adhæc effutiit, tantum insanos credere, Deum mundi creatorem nasci ex Virgine potuisse; hominem non posse concipi nisi per conjunctionem duorum sexuum; nihil credendum, quod ratio naturalis probare nequeat. In tempore ac loco idoneis testimoniis planum fieri poterit, eum his omnibus blasphemias, pluribusque aliis modis per dicta & facta sua Christianam fidem impugnasse. Finit epistolam, Episcopos eam pervulgare jubendo. Data est 1. Jul. an. 1229 & impleta convitiis, ut Cæsarea.*

ap. Rain.  
n. 26.

Matth. Par.  
p. 408.

Quod ad blasphemiam de tribus deceptoribus spectat, *Matthæus Paris eam refert, sed tanquam calumniam in Fridericum ab inimicis suis instructam, quæ tamen ejus famam obscuraverit. Perhibebant etiam, addit, eum abominandas & incredibiles blasphemias de Eucharistia protulisse.*



tulisse, ac religioni Mahometanae quam Christianae majorem habuisse fidem: denique manavit in vulgus rumor, eum pridem cum Saracenis foederatum fuisse, atque his magis favere quam Christianis. Talium sermonum authores peccent, nec ne, Deus scit. Ita Matthæus Paris. Coævus vitæ Gregorii IX. scriptor de hoc Friderici errore sic loquitur: *Hunc ei offudit commercium cum Græcis & Arabibus, qui ex syderum cognitione ei monarchiam universalem pollicendo tantam inspirarunt amentiam, ut sub specie hominis se Deum esse credens ferociter diceret, per tres deceptores humanum genus ludificatum fuisse.* Adjungebat, quartam fallaciam a simplicibus toleratam, nempe authoritatem Papæ sibi destruendam esse.

Sæcul. XIII.

A. C. 1239.

ap. Rain.

1239. n. 28.

## §. XXIV.

*Friderici Responsum.*

Imperator lectis his litteris non omisit respondere; sed ad Cardinales misit epistolam, in qua primum statuit allegoriam de duobus luminaribus magnis, Sacerdotium & Imperium significaturus: unde patet, hoc principium ab utraque parte fuisse tunc agnitum. Dein Papæ pro convitiis convitia rependit, pariter figuras e sacris litteris depromptas adhibens. *Hic est, ait, grandis ille draco, qui*

Petr. de Vin.

l. ep. 31.

Y 2

depra-



Sæcul. XIII. *depravat orbem, Antichristus, alter Balaam,*  
A.C. 1239. *Et quidam princeps tenebrarum.* De tri-  
 bus deceptoribus se purgaturus, corre-  
 ctam & catholicam profitetur fidem di-  
 vinæ in Christo naturæ cum humana con-  
 junctæ; loquiturque de Moyse ac de Ma-  
 homete, sicut Christiano loquendum est.  
 Cardinalibus objicit iracundiæ impetus  
 in Papa non cohibitos, quos suorum con-  
 tra Lombardos progressuum invidiæ tri-  
 buit. Afferit, Papam amittendo virtu-  
 tem amisisse potestatem suam, ejusque  
 censuras esse nullas & injurias, quæ si-  
 bi etiam ferro sint vindicandæ, nisi Car-  
 dinales Papæ saniora persuadeant, & tam  
 violentam agendi rationem coërceant.

## §. XXV.

*Decreta contra Papam.*

*Ric. S. Ger.* **S**ic indicto utrimque bello Imperator  
*p. 1031.* Fridericus mense Junio, an. 1239 in  
 Sicilia promulgari jussit puncta sequentia.  
 Fratres Prædicatores, Minoresque a re-  
 bellibus Lombardiæ locis oriundi e Re-  
 gno abiguntur, ac reliquis cautio adhi-  
 betur, nequid contra Imperatorem agant!  
 Idem de cæteris Religiosis dictum esto!  
 Ecclesiis Cathedralibus, Collegiis Cano-  
 nicorum, Clero reliquo & monachis tam  
 nigris quam candidis pro quorumvis o-  
 pibus subsidium Cæsari ferendum injun-  
 gitor!



gitor! Qui sunt in curia Romana, revertuntur: alioquin eorum bona publicantur! Bona & beneficia, quæ Clerici extranei in Regno possident, etiam fisco addicuntur! Nemini iter ad aulam Romanam, vel ex ea reditus sine Imperatorio consensu permittitur! Collocantur vigiliæ, quæ impediunt, ne vir aut foemina in Regnum Papæ litteras contra Imperatorem ferat: quisquis hominum hac in re deprehensus fuerit, e furca suspenditur! Qui fert litteras fiduciarias, argumentum earum exponere jubetur: si contra Principem sint, easdem poenas dato!

Ad hoc Imperatoris decretum pertinet epistola Siciliæ Prætori scripta, in qua dicit, Papam per Fratres Prædicatores Minoresque & alios Religiosos illuc misisse litteras, ac præcepisse, ut proscriptione & interdictum contra Cæsarem editum ibi observaretur. Is itaque Prætori imperat, ut ad Rogum damnet quemvis hominem, cujuscunque status, ætatis vel sexus fuerit, qui tales tradidisset litteras, vel accepisset, aut illa Papæ mandata esset reveritus. Quin etiam vult cuilibet permissum esse, ut supplicio eos afficiat, quos in tali facto deprehenderit. Monachos quoque, præsertim Cassinenses acerbe habuit Fridericus, dum mense Aprilis collocatis ad Abbatiam excubiis, eam exactionibus oneravit, monachosque

Sæcul. XIII.  
A. C. 1239.

*Petr. de Vin.*  
I. ep. 19.

*Ric. S. Ger.*  
1239.

*Vita Greg.*  
ap. Rain.

n. 30.



Sæcul. XIII. identidem pepulit ita, ut mense Julio tantum octo relinqueret Dei cultum profecuturos.  
A.C. 1239.

## §. XXVI.

*Expeditio in Terram sanctam retardata.*

Interim Papa Francos Constantinopoli extremas in angustias adductos audiens conabatur, ad eorum subsidium convertere omnes sacrorum militum vires, non eorum duntaxat, qui crucem induerant illuc cum Imperatore Balduino ituri, verum etiam illorum, qui acceperant crucem eo fine, ut recta Syriam peterent, & qui potiores erant. Ducem sequebantur Theobaldum VI. Campaniæ Comitem, qui post obitum Sanctii Fortis avunculi sui Navarræ solium conscendit. Erat filius posthumus Theobaldi V, qui ob exhortationes Fulconis Nevilliacensis sacram amplexus militiam anno 1201, cum se ad iter pararet, vitæ curriculum confecit. Ita Theobaldus VI tres ac triginta annos natus erat, cum Rex solenni pompa inauguratus est secunda Dominica post Pascha 7 Majian. 1234. & votum patris Deo perfoluturus anno sequente symbolicæ crucis militiam iniit, sociosque hac in re habuit Petrum Drocensem Britannici Ducem agnomine Malclericum, Hugo-

*Sup. Lib.*  
*LXXV.*  
 §. 39.

*Alber. 1234.*  
 1235.



Hugonem IV Ducem Burgundiæ, Regum Sæcul. XIII.  
Gallicorum sanguine ortos, Henricum A. C. 1239.  
Comitem Barensem, Amalaricum Comitem Montfortium, Comitem Vindocinensem, pluresque alios nobiles Francos.

Cum iter suum a Papa retardari, piorumque partem legatorum, ac cæterorum munerum, quæ Terræ sanctæ subsidio destinata ipsorum manibus tradi iusserat, subtrahi vidissent, suam ei admirationem angoremque per litteras significabant. Quibus ille hæc reposuit: *Terræ sanctæ XII. ep. 399.*  
*negotium, ne dubitate, maxime nobis cordi est. Sed Romanicæ Imperio, in quo illud totum nititur, imminens excidium nostras ad se conservandum curas convertit. Inita proin cum fratribus nostris Cardinalibus consultatione, suppetias Terræ sanctæ destinatas Romanicæ Imperio mittere statuimus: id quod vobis molestum non accidat: e contrario vos adhortamur, ut vos præparetis ad transitum, quem in propinquum S. Joannis Festum indicimus. Epistola Proceribus nominatis, excepto Britannicæ Duce, inscripta est, & data Romæ 9. Mart. 1239.*

Optimates Cruce signati reapse Lugdunum convenerunt, itineris rationem omnem sibi præscripturi: sed colloquentibus citissime superveniens Papæ nuncius exhibitis hujus mandatis, ne ultra procederent, vetuit, monuitque, ut pro-



Sæcul. XIII.  
A. C. 1239.

pere suas redirent domos. Illi una omnes voce respondebant: *Unde hæc in Aula Romana variatio? Non hic est terminus locusque nobis dudum per Papæ Nuncios & concionatores assignatus? Secundum promissa eorum pro divino cultu ad iter nos accinximus: victum, arma, cunctaque nobis necessaria præparavimus: nostras terras, domos, ac supellectilem oppignoravimus aut vendidimus: amicos nostros valere iussimus: pecunias nostras in Terram sanctam præmisimus, nostrum adventum annunciavimus: prope portum sumus: & modo Pastores nostri aliud loquentes Christi cultum impedire volunt. Indignatio erat tanta, ut in Papæ nuncium involassent, nisi Præsules multitudinis impetum continuissent.*

Mox dein aderant Imperatoris Legati, qui cruce signatis vehementer suadebant, ne sine ductu ejus proficisci temere properarent, dabantque scriptas ad ipsos hac de re litteras, quibus ille se excusabat, quod nondum iter faceret. Hæ Papæ ac Imperatoris oppositiones cruce signatos in molestissimum statum deduxere: nesciebant, quid agendum sibi esset, nec inter se consentiebant amplius. Multi domum redibant, conquesti de Præsulibus, qui ad suscipiendum hoc consilium ipsos impulerant: Quidam Massiliæ naves conscendebant cum Navarræ Re-



ge, qui mense Augusto ex urbis illius portu avectus est in Terram sanctam: complures illorum in Sicilia expectabant Proceres verno tempore venturos: alii permissu Imperatoris Brundisium petiere.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1239.  

---

Ric. S. Ger.  
p. 1032.  
Alberic.  
1239. p. 572.

§. XXVII.

*Spinea Christi corona Parisios delata.*

Constantinopolitanus Imperator Baldunus Curtiniacensis etiamnum in Gallia commorabatur, ubi sacros milites, quotquot poterat, colligebat in Romaniam transmittendos. Atque ut sui itineris bellicue contra Græcos gerendi sumptibus par esset, suum Comitatum Namurcensem Regi Sancto Ludovico cognato suo pro quinquagies mille libris Parisiensibus pignori dedit, eidemque spinream D. N. coronam Venetis oppignoratam donavit. Igitur ad Regem, Reginamque Blancam ejus matrem dicebat: *Exploratum, perspectumque habeo, Proceres Constantinopoli inclusos summa rerum omnium penuria compulsus iri sanctam coronam extraneis vendere, aut saltem pignori dare. Quare thesaurum tam pretiosum tibi deferri cupio, Tibi, inquam, cognato, Domino, ac benefico fautori meo, ac Regno Francico meæ patriæ. Hoc donum gratuitum accipere ut placeat, oro.* Sic loquebatur,

Alberic.  
p. 572.  
Phil. Mousques p. 227.  
Du Cange  
hist. C.P.  
lib. 4. n. 15.  
Hist. suscept.  
Cor. Spin.  
Duchesne  
to. 5. p. 409.

Du Cange  
n. 11.

Y 5 ut



Sæcul. XIII. ut ne Rex sibi religioni duceret, tales reliquias pecuniis emere. Rex gaudio perfusus, plurimas Balduino gratias egit, ac donationem admisit, id, quod anno 1238. factum.

Protinus Constantinopolin missi sunt duo Fratres Prædicatores Jacobus & Andreas, qui rem executioni darent. Jacobus præerat Constantinopolitano Ordinis sui cœnobio, sanctam coronam sæpe viderat, & quod ad eam attinebat, id bene noverat. Imperator Balduinus abeuntibus adjunxit Nuncium litteris patentibus instructum, per quas Proceres sanctam coronam Regiis Nunciis tradere jubebat. Qui Constantinopolin delati audierunt, Imperii Barones extrema necessitate coactos coronam Venetis pro magna pecuniæ summa oppignorasse ea conditione, ut, nisi Festo S. Gervasii die 19 Junii redempta esset, ex pignore in rem venditam conversa Venetorum propria fieret, atque interim Venetias transferretur. Constantinopolitani Barones lectis Balduini Domini sui litteris, cum Venetis pacti sunt, ut eam Nuncii Regii cum Imperii Legatis ac civium spectatissimis Venetias deferrent. Cista illam continens Francicorum Constantinopolis Procerum sigillis munita fuit. Vectores tantum fiducia in eadem ponebant, ut tempore ad navigandum minime idoneo  
circi-



circiter Christi Natalem an. 1238 naves **Sæcul. XIII.**  
 conscenderent. Vatacius Imperator **A.C. 1239.**

Græcus per exploratores suos de hac translatione certior factus aliquot triremes diversa in freta Francis transeunda miserat. Nihil tamen adversi eis accidit, sed Venetias prospere advenerunt.

Ibi coronæ in thesauro Sacelli S. Marci depositæ custos remansit Frater Andreas. Sed frater Jacobus celeriter reversus in Galliam S. Ludovicum Regem, ac Reginam ejus matrem gaudiis complevit rem denunciâns. Rex igitur ac Imperator Balduinus cum Fratre Jacobo Legatos præceptis amplis pecuniisque necessariis instructos ad redimendam coronam Venetias miserunt, exoratusque Fridericus Imperator est, ut præsidium Legatis & auxilium, si opus foret, adjungeret. Hi Venetiis mercatores Gallos invenere, qui jussu Regis cupitam pecuniam omnem obtulerunt. Veneti coronam, quam retinere, quantumvis vellent, per pactum non licuit, receptis pecuniis suis reddidere. Legati exploratis illius figillis iter ingressi, favente semper cœlo gaudebant ita, ut nullius imbris incommodum per viam paterentur, quamvis sæpe plueret, cum diversorium subiissent, Trecas in Campaniæ urbem delati miserunt, qui ad Regem id referret. Hic celeriter profectus, Regina matre, fratribus



Sæcul. XIII. tribus suis, Gualterio Archiepiscopo Senonensi, Bernardo Episcopo Antifiodorensi, & quibusdam Proceribus aliis comitantibus coronam *Villæ Novæ Archiepiscopi prope Senones* invenit.

A. C. 1239.

Aperta cista lignea agnoscebantur sigilla Procerum Francorum ac Venetiarum Ducis apposita capsæ argenteæ, quæ vas aureum sanctam coronam continens circumdabat. Cum hæc detecta esset, Regi cunctisque præsentibus spectanda dabatur, qui soluti in lachrymas JESUM ipsum spinis coronatum conspiceri sibi videbantur. Id Festo S. Laurentii die factum. Postridie 11 Augusti 1239 corona Senones deferebatur. In urbis ingressu Rex ac Robertus ejus fratrum natu major, Comes Atrebatensis, illam humeris suis imponebant indusio amicti nudisque pedibus; atque sic eandem ad Metropolitanam S. Stephani Ecclesiam portabant in medio totius Cleri Senonensis, qui sollemnissimo publicæ supplicationis ritu obviam processerat. Altero die Rex Parisios petiit, ubi die octava sancta corona excepta est. Prope Abbatiam S. Antonii erectum erat grande pegma, quod multi Præsules occupaverant Pontificiis ornati vestibus: ibi capsula omni populo monstrabatur. Tum Rex Comesque Atrebatensis nudis rursus pedibus & subucula tecti humeris suis impositam



fitam in Cathedrale Dominæ Nostræ tem-  
plum, indeque in palatium tulere, ubi Re-  
gio in facello, quod tunc S. Nicolai ædi-  
cula erat, collocata fuit.

At post aliquot annorum spatium Rex  
haud exigua veræ crucis parte, aliisque  
reliquiis multis Constantinopolitano e sa-  
crario acceptis, facellum, quod hodie cer-  
nimus, exstruxit tanta architecturæ ma-  
gnificentia elegantiaque, quanta tunc  
temporis haberi poterat; collegiumque  
instituit ante sanctas reliquias sacris ope-  
raturum. Ecclesia Parisiensis 11 Augu-  
sti celebrat festum susceptæ coronæ spi-  
neæ, cujus rei historiam jam tum Gual-  
terius Cornus Archiepiscopus Senonen-  
sis scripsit.

## §. XXVIII.

*Concilium Turonense.*

Eodem anno 1239 Juhel Archiepisco-  
pus Turonensis in Metropoli sua al-  
terum cum Suffraganeis suis concilium  
celebrans, tredecim de instauranda disci-  
plina canones edidit, quorum primus ha-  
bet: Cum approbatione sacri Concilii:  
quod indicat, hanc formulam Papæ ac  
Legatis ejus non fuisse peculiarem. Id  
concilium præcipit, quæ sequuntur. In  
quavis parocia tres Clerici aut laici con-  
stituantur, qui Episcopo vel Archidiao-  
no,

Sæcul XIII.

A. C. 1239.

*Dubois hist.**Eccles. Pa-**ris. lib. 15.*

c. 4. n. 11.

to. XI. p. 559

c. 1.

c. 4.

c. 5. 6.



**Sæcul. XIII.** no, cum interrogati fuerint, de scandalis  
**A.C. 1239.** contra fidem ac bonos mores rationem

*c. 8.*

reddant. Sacramenta gratis admini-  
 strentur, salvis tamen piis consuetudini-  
 bus. Curiones sacri, seu Rectores, ut in  
 Britannia etiamnum vocantur, suæ fidei  
 commissos autoritate propria non pro-  
 scribant: alioqui sententia erit nulla.

*Cang. Gloss.*  
*allocatus.*

*c. 9.*

Archidiaconi, Archipresbyteri, ali-  
 que Judices Ecclesiastici jurisdictionem  
 suam ipsimet exercent, nec habeant ex-  
 tra urbem vicarios: alioquin horum judi-  
 cia erunt irrita. Proscriptiones non fe-  
 rantur nisi re mature perpensa post mo-  
 nitiones ac intervalla convenientia. Si

*c. 10.*

proscripti non obediant, proscribantur et-  
 iam ii, qui cum illis ad forum venalium,  
 ad furnum, ad pistrinum iverint, ac ii de-  
 nique, qui cum illis potaverint, aut co-  
 mederint. Etiam civilis Magistratus

*c. 12.*

præsidium, si opus sit, contra illos implo-  
 retur: eorum vero, qui cum iisdem ver-  
 sati fuerint, proscriptio generalis non fiat,  
 ne animæ periclitentur. Monachi Eccle-

*c. 13.*

siis parœciarum non serviant. Clerici  
 & monachi in ædibus ac prioratibus suis  
 non habeant famulas. Clerici possiden-

*Lobin. hist.*

*VIII. n. 4.*

*Preu p. 392.*

tes beneficia, vel sacris Ordinibus initia-  
 ti filiis spuris aut concubinis suis per te-  
 stamentum nihil relinquunt. Hæ san-  
 ctiones non præbent honorificam Eccle-

siæ speciem. Anno sequente 1240 Joan-  
 nes



nes Britanniae Dux ob preces Episcoporum ac Procerum Judæos ex omnibus terris sibi subjectis omnino expulit per edictum die Martis ante Pascha, nempe 10 Aprilis factum.

Sæcul. XIII.

A.C. 1239.

## §. XXIX.

*Manichæi combusti.*

Hoc anno 1239. 13 Maji die Veneris *Alberic.*  
ante Pentecosten animadversio in-

p. 569.

gnis in Bulgaros seu Manichæos facta est Monthemii in Campania Diœcesis Catalaunensis, præsentibus cum Navarræ Rege provinciæ Baronibus, Archiepiscopo Remensi, ac quindecim Episcopis, nempe Sueffionum, Tornaci, Cameraci, Atrebatii, Tarvannæ, Novioduni, Lauduni, Silvanecti, Bellovaci, Catalauni (harum duarum urbium Episcopi erant solum electi) Aureliani, Trekarum, Meldarum, Viroduni, & Lingonum; aderant etiam multi Abbates, Priores, Decani, aliique Ecclesiastici: populus, qui hoc ad spectaculum venerat, centies mille animas conficere videbatur. Centum octoginta tres hæretici sunt ignibus ibi consumpti, *acceptum Deo holocaustum*, ait monachus Albericus scriptor illius temporis. *Hæbebant*, addit, *inter se anum quandam magnæ existimationis Gislam nomine, Provi-*

ap. Echard.

p. 560.

hujus  
suppli-



**Sæcul. XIII.** *supplicium delatum fuit, quia se magnum in-*  
**A. C. 1239.** *super eorum numerum prodituram fratri*  
*Roberto promiserat. Frater Stephanus*  
*Borboniensis, aut Bellavillanus Ordinis*  
*S. Dominici se horum hæreticorum da-*  
*mnationi interfuisse dicit.*

*Alberic.*  
*p. 560.*

*Matth. Par.*  
*1238. p. 407.*

Frater Robertus, qui eandem urgebat, pariter Ordinis Prædicatorum erat, cognomento Bulgarus, quia Bulgaricam sectam secutus fuerat. Nam sub tempus magni concilii an. 1215 habiti a foemina Manichæa Mediolanum ductus, haustam ibi hanc hæresin per viginti annos ita foverat, ut inter Bulgaros perfectissimos numeraretur. Ab his ad fidem sanam & in Ordinem Prædicatorum transit; ubi doctrina fortique ac prompta facundia sua grande adeptus nomen, vehementer in hæreticos illos exarsit, quos ob diuturnam consuetudinem cum ipsis junctam vel ex sermone ac gestu sibi innotescere asserebat. Quam plurimos eorum in Flandria præcipue manifestos fecit, addixitque ignibus absque misericordia, præsidio Sancti Ludovici fultus, cui per virtutis larvam imponebat. Verum accepta Inquisitoris autoritate abusus, nec nisi formidabilem se reddere cogitans, omnem excessit modum, & innocentes cum fontibus confudit. Quare a Papa exautho-  
 ratus, tam multorum denique criminum  
 convi-



convictus est, ut ad perpetuum carcerem Sæcul. XIII.  
condemnaretur. A. C. 1239.

§. XXX.

*Censuræ in Provincia Remensi.*

**H**enicus Broniensis Archiepiscopus Marlot. to. 2  
Remensis interdixerat urbis Ecclesias, lib. 3. c. 32.  
& anathemate cives multaverat reos se- p. 526.  
ditionis commotæ in suum Prætorem ac Sup. Lib.  
hujus administratos, nimium rigidos exa- LXXX.  
ctores pecuniarum, ad quas Archiepisco- S. 52.  
po solvendas cives damnati fuerant. Pa- ap. Rain.  
pa Gregorius has censuras ratas habuit n. 76.  
per litteras 11 Junii an. 1239 datas, qui-  
bus præcipit, ut proventus civium, nisi  
ad officium redeant, ac pecuniæ iis de-  
bitæ in nundinis & ubique detinean-  
tur.

Thomas Bellomesius, Nobilis Artesiæ Marlot.  
vir, cujus jam facta est mentio, paren- p. 541.  
tes habuit Ægydium Bellomesii Dominum,  
Castellanum Bapalmæ Dynastam, & A-  
gnetem Cocciam; atque ita Archiepisco-  
pum Henricum cognatione contingebat.  
A prima juventute sua fuit Canonicus  
Atrebatensis, dein factus ab Archiepisco-  
po Canonicus ac Præpositus Remensis.  
Rege ac Episcopo Bellovacensi inter se  
diffidentibus, Thomas Remis pulsus, illuc  
nondum redierat, cum a tribus provin-  
ciæ Nobilibus, Nicolao Rumignio, Collar-  
*Hist. Eccles. Tom. XX.*      Z      do



Sæcul. XIII. do ejus filio, & Hugone Grifondelio (in-  
 A.C. 1239. certum, qua de causa) captus, & in cu-  
 stodia detentus est. Itaque Henricus  
 to. XI. conc. Archiepiscopus Quintinopoli mense No-  
 p. 568. vembrian. 1239 concilium habuit, in quo  
 Marlot. tria fiebant decreta. Primum hujusmo-  
 p. 527. di est: Tres Nobiles admonebuntur, ut  
 Thomam Bellomesium libertati restituant,  
 illique ac Ecclesiis, quarum est Canoni-  
 cus, pro illata injuria satisfaciant. Sin-  
 minus; Summi Pontificis ac præsentis  
 Concilii autoritate proscripti denuncia-  
 buntur. Si anathema per quindecim  
 dies sustinuerint, terræ, quas in provin-  
 cia Remensi habent, erunt interdictæ,  
 donec illi Thomam Præpositum reddant,  
 & damna compensent. Postquam quin-  
 decim dies ab interdicti promulgatione  
 effluxerint, illorum filii in provincia Re-  
 mensi per viginti annos nullum ad bene-  
 ficium admittentur. Si hæc media non  
 suffecerint, auxilium Dominorum, qui-  
 bus illorum prædia beneficiaria subjecta  
 sunt, implorabitur. Si hi Domini officii  
 sui immemores præscripto sibi tempore  
 illos ad Ecclesiam redire non compule-  
 rint, proscribentur, ac eorum terræ sub  
 interdicto erunt. Denique supremo Do-  
 mino profano, nempe Regi supplicamus,  
 ut pro liberando Præposito, ac pro Ec-  
 clesiastico jure conservando autoritatem  
 suam interponat. Necdum vidi censu-  
 ras



ras Ecclesiasticas in hos duos gradus e-<sup>Sæcul. XIII.</sup>  
 latas. Alterum decretum est generale, A. C. 1239.  
 ac extendit easdem pœnas ad omnes,  
 qui cujusdam Cathedralis in provincia  
 Remensi Ecclesiæ Canonicum aliquem  
 comprehenderit. Decretum tertium  
 illas porrigit usque ad membrum Eccle-  
 siæ Canonicorum Collegio insignis. Om-  
 nia tria edita sunt die Lunæ ante Fe-  
 stum S. Andreae, scilicet 28 Novembris  
 an. 1239.

§. XXXI.

*Ecclesia Anglica.*

Hoc anno Henricus Anglorum Rex of-<sup>Matth. Par.</sup>  
 fensus, quod Guilielmus Sabaudus <sup>p. 419.</sup>  
 non fuerit electus Episcopus Vinconien-  
 sis, electiones duas, alteram Simonis  
 Prioris Cathedralis Ecclesiæ Norvicensis  
 in ejusdem Ecclesiæ Episcopum, alteram  
 Radulphi Vimiacensis Episcopi Cice-  
 striensis in Vinconensem per curiam Ro-  
 manam irritas reddi curavit. Has ab-  
 rogationes obtinuit opera Simonis Nor-  
 manni unius e legulejis suis, quorum  
 grandem habebat numerum, inquit Mat-  
 thæus Paris, velut catervam canum, quos  
 in Præfulum electores immitteret. Per  
 eundem Simonem a Papa petiit, ut Le-  
 gatum Ottonem diutius in Anglia mora-  
 ri juberet, quamquam hic Romam rever-  
 tendi

p. 412.

Z 2

tendi



Sæcul. XIII. A.C. 1239. tendi copiam impetraverat. Rex enim haud posse se sine illo vivere credebat, ac præ gaudio exiit, eum ex novo Papæ imperio permanere videns. Contra Nobilium Ordo Regis hanc agendi rationem indigne tulit.

p. 462.

Interea Guilielmus Relius, a monachis Conventriensibus, rem gratam Regi se facere ratis, & paulo post a monachis Norvicensibus in Episcopum electus, Norvico Conventriam posthabuit, Wallis etiamnum indomitæ nimium vicinam. Igitur eodem anno 1239 in Episcopum Norvicensem a S. Edmundo Archiepiscopo Cantuariensi Londini in templo S. Pauli præfente Præfulum Procerumque multitudine consecratus fuit.

*Æg. Aur.*  
*val. c. 132.*  
*133.*  
*Alberic.*  
*p. 574.*

Alia ex parte Guilielmus Sabaudus Sedem Vinconensem cupere desiit ad Leodiensem evectus, a 2 Maji an. 1238 vacantem per obitum Joannis Eppii. Sub Festum S. Joannis itum est in suffragia, quæ divisa erant: pars Ottonem Præpositum Trajectensem, pars Guilielmum Sabaudum electum Episcopum Valentinum, Thomæ Flandriæ Comitæ fratrem cooptavit. Utraque jus a Curia Romana petiit; ac re momentis suis ponderata, Summus Pontifex electionem Guilielmi ratam habuit præfente Conrado Archiepiscopo Coloniensi ejus Metropolitanano; sed ingratiis Imperatoris Friderici Otto-

Otto-



Ottonem protegentis. Papa dicebatur  
 Guilielmo copias suas contra Imperato-  
 rem ducendas committere velle : atque  
 certum est, illum ei Valentini Episcopa-  
 tus administrationem permisisse. Gui-  
 lielmus permansit in Italia, & a Papa Gre-  
 gorio in Episcopum Leodiensem inaugu-  
 ratus est.

Secul. XIII.  
 A. C. 1239.

Matth. Par.  
 p. 413.

Interea Conradus Imperatoris filius  
 Leodium delatus Ottonem contra cano-  
 nes in Pontificiæ Sedis possessionem mi-  
 sit : sed cum cives ad jurandam ei fide-  
 litatem adigere vellet, reposuerunt, Epis-  
 copo ab Ecclesia secundum canones re-  
 cepto id se libenter facturos. Durante  
 prope per anni unius spatium schismate  
 ambarum partium copiæ Diœcesin Leo-  
 diensem impune diripiebant. Denique  
 compertum est, Guilielmum Sabaudum  
 Viterbii die Festo Sanctorum Omnium  
 an. 1239 vita functum in Cisterciensi  
 Sabaudia Abbacia Altecumba terræ man-  
 datum esse. Quæ res Papam quidem  
 vehementer, Angliæ vero Regem adeo  
 afflixit, ut laceraret vestes suas, & in i-  
 gnem conjiceret. Tum monachi Colle-  
 gii Vinconiensis Romam missi a Papa ob-  
 tinuere litteras, per quas declarabat, eos  
 non posse in Episcopum suum eligere ex-  
 traneum Regno odiosum, quisquis eum  
 commendaret, vel ita juberet, sed debe-  
 re libere ac secundum canones, quem di-

Matth. Par.  
 p. 463.

p. 465.



Sæcul. XIII.  
A.C. 1239.

gnissimum censerent, eligere. Id autem Regis animum ad furorem usque exasperavit, velut si nequiret invenire Anglum, qui illam sedem mereretur.

p. 413.

Eodem anno 19 Junii natus ei Londini filius est, quem Eduardum nominari voluit. Huic Exorcismos Episcopus Carliolensis, salutis fontem Legatus Otto nondum Sacerdos, Christianæ palæstræ oleum S. Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis adhibuit. Notatu dignum est, illas cerimonias in plures viros divisas, & Confirmationis Sacramentum mox additum fuisse. Infantem e sacro fonte susceperunt viri novem, tres Episcopi, Rogerius Londinensis, Gualterius Carliolensis, & Guilielmus Relius electus Norvicensis; tres Comites, ac tres alii, in quorum numero erat Simon Normannus Archidiaconus Norvicensis.

§. XXXII.

*Papa Principes in Fridericum concitat.*

G. Nang.  
Duchesne  
to 5. p. 335.  
to. XI. Conc.  
p. 366. Preu.  
lib. Gall.  
p. 10.

Interim Papa Jacobum Episcopum Prænestinum, olim monachum Cisterciensem, ut Legatum misit, qui sacri anathematis sententiam contra Imperatorem Fridericum latam per totam Galliam promulgaret. Ferebat is Papæ Gregorii ad Regem S. Ludovicum epistolam, in qua ille



ille fufis laudibus Franciæ Regum, quos omni tempore in fide firmos, ac fervidos Ecclesiæ defensores fuiſſe agnoſcit, hæc

Sæcul. XIII.

A. C. 1239.

adjungit: *Quare magna fiducia ad te confugimus, tibi que detegimus vulnera, quæ Fridericus Ecclesiæ inflixit, in divina mysteria, a quibus ante noſtram ſui damnationem velut ethnicus refugiebat, ſe intrudens, & contra nos litteras calumniis plenas divulgans.* Legatum deinde Regi commendat, aſſeritque, majus eſſe meritum Fridericum fidei hoſtem impugnare, quam ethnicis Terram ſanctam adimere. Dabat 21 Oct. 1239. Eodem menſe Legatus in viam ſe dedit: ne vero in Friderici manus incideret, ſub veſte peregrini unico cum ſocio terreſtri itinere Genuam delatus mari ſe commiſit.

Ric. S. Ger.

p. 1033.

In Germaniam quoque duas contra Fridericum epiſtolas miſit Alberto Archidiacono Paſſavienſi, ac Philippo Aſſiſinati Nuncio ſuo inſcriptas. In priore 24. Septembris data queritur, quod quidam Friderico contra Deum ac Eccleſiam Romanam ſuppeticas eant. *Perperam, inquit, retinere Imperii habenas hic Princeps cupit: in ſua crimina non conſentientes Proceres acerbe habet, eorum immunitatem vel prærogativas non reſpiciens: eos mittit in carceres, proſcribit, per prodicionem necari jubet, aut ethnicis ſicariis exponit, quod de Chriſtiano Principe non eſt audi-*

Bullar. Greg. IX.

n. 13.



Secul. XIII. A. C. 1239. *tum. Aliquot Episcopos Ecclesiasticis aliisque bonis suis exutos e Sicilia, quæ S. Petri patrimonium est, expulit. Profanavit templa: pauperes, viduas, pupillos, ac Religiosos spoliavit, immo quendam ex Ordine Fratrum Minorum sine juridica causæ cognitione comburi iussit. Per contemptum nostri anathematis sacrificium divinum coram se palam peragi voluit, illam sententiam non esse observandam asserens, & hoc ipso hæreticum se demonstrans. Papa finit tum prohibendo, ne Præsules, Optimates, & Christiana Germania ullum Friderico auxilium ferant, tum præcipiendo ambo- bus, quibus hæc scripsit, viris, ut huic inhibitioni obedientiam præstari curent, illius violatores ab Ecclesiæ communione arcendo. Altera epistola, 23. Novembris data, est mera ejusdem inhibitionis repetitio, & iteratum executionis imperium.*

*Matth. Par.*  
*p. 463.*  
*Alb. Stad.*  
*an. 1239.*  
*1240.*

Verum Germaniæ Præsules his minis parum tacti orabant Summum Pontificem, ne suas censuras contra Imperatorem promulgare ipsos cogeret; sed ut e contrario pacem cum eo jungere conaretur, offendiculum in Ecclesia factum sublaturus. Bertoldus Aquilejensis Patriarcha Papæ censurarum tam modicam rationem habuit, ut cum Imperatore Friderico communionem omnibus modis, in sacris, in pacis osculo, & ad mensam cole-



coleret. Papa hoc ei vehementer ex-  
 probravit per litteras 19 Decembris 1239  
 datas. *Nihilominus, ait, ab anathemate, in*  
*quod incurristi, te absolvam, dum modo ce-*  
*lerrime ad me veneris. Et id favoris tibi*  
*exhibebo in gratiam tuorum nepotum, Be-*  
*læ Hungarorum Regis & Colomani, eo*  
*gaudentis fratre. Bertoldus patrem ha-*  
 buit Moraviæ Ducem, forores autem Ger-  
 trudem Hungariæ Reginam, tam Regis  
 Belæ IV. quam S. Elisabethæ matrem,  
 & S. Hedwigem Poloniæ Reginam.

Equitibus Teutonicis etiam Frideri-  
 ci partes sequentibus Papa minabatur,  
 se omnes ipsorum prærogativas, nisi eum  
 relinquerent, rescissurum. Ineunte No-  
 vembri Anagnia Romam reversus, 18 e-  
 jusdem mensis octava S. Martini anathe-  
 ma contra Fridericum confirmavit, ac  
 Henricum filium ejus spurium, mense Se-  
 ptembri Marchia Anconitana potitum,  
 recens proscripsit, eam ad Ecclesiam per-  
 tinere asserens.

## §. XXXIII.

*Frater Elias iterum exauthoratus.*

Imperator Fridericus in Hetruria inte-  
 rim commorans Pisis Natalem Christi  
 solennissime celebravit, & in Ecclesia ma-  
 jore sacris interfuit, negligens interdi-  
 ctum Pontificium pronunciatum adver-

Z 5 fus

Sæcul. XIII.

A. C. 1239.

ap. Ughel.

to. 5. p. 88.

XIII. ep. 74.

ap. Rain.

n. 36.

Ric. S. Ger.

p. 1033.

Richard.

S. Germ.

Vita Greg.

ap. Rain.

n. 34.



**Sæcul. XIII.** **A.C. 1239.** **Vading.** **1236 n. 1.** **2. 3. &c.** **Sup. Lib. LXXIX.** **§. 63.** sus loca, in quibus ipse versaretur. Ibi eum convenit frater Elias, cui Generalis Fratrum Minorum Ministri munus paulo ante abrogatum fuerat. Sub initium anni 1236. ei rursus erat delatum loco Joannis Parentii, qui partibus fortioribus demisso cessit animo, cum Ordinem sex annis rexisset. Elias semper veterem suam agendi rationem prosequens, per speciem prudentiæ remissionem disciplinæ introducere conabatur, paucissimos posse S. Francisci vestigiis insistere affirmans. Numerosas partes, faventesque habebat primarios viros Ecclesiasticos & profanos ob suam in gerendis rebus dexteritatem, morumque ac sermonis elegantiam. Sed strenui disciplinæ cultores ei fortiter se opponebant sequentes Germanum quendam Spirenses, Cæsarium nomine, hominem doctum ac eximia virtute præditum.

Elias benigne auditis bona verba dedit; adiit vero Papam, dixitque: *Habemus quosdam fratres simplices ac rudes, qui tamen magna in existimatione sunt etiam foris, quia discipuli S. Francisci comitesque fuerunt: obstinati suis in sententiis perstant, & velut si Superiorem non haberent, huc illuc euntes, docent praxes singulares ac Ordini noxias. Religione me obstrictum puto, ut rem ad Sanctitatem tuam deferam.* Sic præventus Papa Eliæ amplam hos seditiosos



ditiosos coërcendi potestatem fecit. Nil is aliud cupierat, & Assisium reversus exagitare cæpit Cæsarianos: ita vocabantur, qui ei obsistebant. Multos in exilium, multos in carcerem misit, inter alios fratrem Cæsarium manibus pedibusque vinctum. Postea demptæ quidem ei sunt catenæ: sed duos annos integros 1237 & 1238 inclusus mansit. Ineunte anno 1239 carceris fores apertas videns, perfrigida tempestate paulisper deambulatum exierat, cum eum custos suus frater laicus, homo crudelis, fugituum ratus, accurrit cum baculo, quo tam atrociter ejusdem caput percussit, ut eodem loco animam efflaret.

Papa re comperta se ab Elia deceptum sentiens, generalia omnium Ministrorum Provincialium comitia Romæ celebranda edixit, quæ secundo Pentecostes die 16 Maji peragebantur. In his Papa Eliam iterum loco movit, ac se præsentente alium Generalem Ordinis Ministrum eligi voluit. Electus est Papa consentiente Albertus Pisanus per Angliam Minister Provincialis; sed post mensium trium ac dimidii spatium sub Natalem Dominæ Nostræ diem e vita cessit. In ejus locum Festo Sanctorum Omnium die susceptus est Haimo Fevershamensis Anglus, alter duorum, qui ad Germanum Græcum Patriarcham Constantinopolitanum

Sæcul. XIII.  
A.C. 1239.



**Sæcul. XIII.** tanum missi fuerant. Elias erepto sibi  
**A.C. 1239.** munere adeo excaudit, ut adiret Im-  
**Ric. S. Ger.** peratorem, seque illi addiceret. Eccle-  
**p. 1033.** siam Romanam velut usuris, sacrilegis  
**Matth. Par.** mercatibus & avaritia plenam infama-  
**p. 465.** bat. Dicebat, Papam conari jura Imperii  
 minuere, ac per varias artes pecunias  
 congerere, cum deberet preces, suppli-  
 cationes publicas, & jejunia adhibere,  
 ut ab oppressione se liberaret. Accusa-  
 bat Papam, quod pecunias ad subsidium  
 Terræ sanctæ destinatas huic subduce-  
 ret; quod diplomata secreto ac insciis  
 Cardinalibus in conclavi suo obsignaret;  
 quod Nunciis suis folia pura sigillo  
 munita traderet, ut, quæ vellent, in eis  
 scriberent. De pluribus aliis rebus in-  
 dignis eundem arguebat: qui proin sacro  
 illum fulmine perculit.

**Alb. Stad.**  
**Ch. 1239.**

[**Id. 1244.**

Interim Ordo Fratrum Minorum in-  
 signem sane Tironem obtinuit in Adolpho  
 Holfatiæ Comite, qui eorum institutum  
 Hamburgi die Sabbathi & S. Hippolyto  
 sacra 13 Augusti an. 1239 amplexus est,  
 tres ætatis teneræ filios Abelis Daniæ  
 Ducis generi sui tutelæ relinquens. Im-  
 peratori Friderico magna cum laude ser-  
 vierat, & provinciam suam feliciter re-  
 xerat. Post quinque annos Romam pro-  
 fectus, a Papa gratiam legis impetravit,  
 ut ad omnes sacros Ordinis promoveretur;  
 verisimiliter, quia militiam secutus erat.  
 Sacer-



Sacerdos expiationibus præfectus litteras dabat 22 Aprilis an. 1244. Adolphus quatuordecim annos in statu Religioso transegit.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1239.

## §. XXXIV.

*Epistola ad Reginam Georgianorum.*

Papa Gregorius ad Russudam Georgianorum Reginam, & ad Davidem horum Regem, illius filium, septem Fratres Prædicatores misit cum epistola, in qua se excusat, quod expectatum illis exercitum contra Tartaros auxilio non submittat. *Iussimus enim, ait, in Syria Saracenos, qui nos inter ac vos sunt, deleri: & continuum in Italia Hispaniaque bellum pro fide Christiana gerimus: quibus ex causis vobis subveniundo pares haud fuimus.* Et quia subsidii obtinendi gratia Princeps illa se velle Romanæ Ecclesiæ conjungi significaverat, Papa strenue insistit necessitati unicam Ecclesiam sub unico capite congregatam agnoscendi. At sæpe repetit, S. Petrum solum fuisse, cui Christus suum gregem ducendum ac cœli claves commiserit. *Quæ dum loquimur, addit, non volumus honorem adimere fratribus nostris Episcopis, quos S. Petrus & successores ejus in partem sollicitudinis vocarunt: nec dubitamus, quin Dei & sanctæ Se-*  
dis

ap. Rain.  
n. 9.



Sæcul. XIII.  
A.C. 1240.

*Sup. Lib.*  
*LXXIX.*  
*§. I.*

*dis vicarii sint.* Videtur dicere, Episcopos potestatem suam proxime a Papa habere secundum sententiam quorundam Theologorum illius temporis. Dabat 13 Jan. 1240. Hæc Regina Ruffuda debuit esse illa Ruffutana, quæ quindecim aut sedecim abhinc annis Papæ Honorio scripserat: nec inuenio, hoc litterarum commercium cum Summis Pontificibus effectum habuisse. Sed & plura per exempla vidimus, Christianos Orientis suam cum Ecclesia Romana reconciliationem non nisi temporalis commodi causa obtulisse.

§. XXXV.

*Altera Imperatoris Apologia.*

*Ricc. ibid.*  
*Matth. ibid.*

Imperator Fridericus semper Romam versus procedens, Fulginii mense Februario an. 1240, deinde Viterbii exceptus est, unde Regi Anglorum suam scripsit epistolam, suam agendi rationem, ac bellum Papæ illatum purgaturus. Resumit omnes querendi materias, quas contra eum habere se asserit, usque ad anathema anno priore contra se pronunciatum. Dein adjungit: *Quia hic agendi modus nobis iniquus videbatur, ad Cardinales Legationem misimus, quæ Concilii generalis conuocationem posceret. Sed tantum aberat, ut Papa Legatorum rationem* duc-



duceret, ut Episcopos a nobis missos pro-  
 brosam in custodiam daret, jus gentium vio-  
 lans. Tum contra nos Marchiam Tarvi-  
 sianam & urbem Ravennam concitavit: &  
 ut Mediolanensium seditionem sustentaret, Le-  
 gatum ad eos Gregorium Montelongium,  
 & fratrem Leonem fratrum Minorum Mi-  
 nistrum misit, qui non tantum vestibus mili-  
 tes ementiti, gladios & loricas gerebant,  
 verum etiam in concionibus suis absolutio-  
 nem omnibus, qui contra nos starent, imper-  
 tiebantur. Hic Legatus, & hic Religio-  
 sus etiamnum in litteris suis Mediolani Gu-  
 bernatores se nuncupant: id quod indicat,  
 Papam temporalem ejus dominatum Imperii  
 damno sibi velle tribuere.

Sæcul. XIII.  
 A. C. 1240.  
 M. Par.  
 p. 467.

Patavinus S. Justinæ monachus illius an. 1239.  
 temporis historicus hac cum narratione  
 consentit. Confestim post anathema, in-  
 quit, Papa Legatum Italianæ declaravit Gre-  
 gorium Montelongium, Apostolicæ Sedis no-  
 tarium, magna prudentia & constantia vi-  
 rum. Is Mediolanum delatus populum me-  
 tu absolvit, ac per exhortationes suas ami-  
 cis Mediolanensium animos addidit ad liber-  
 tatem tuendam. Ut exemplo esset aliis, ve-  
 niebat ipsemet, quocunque Imperator fidos  
 Ecclesiæ cives oppugnatum ibat. Sic hi-  
 storicus ille loquitur. Frater Leo co-  
 gnomine Peregus Mediolanum habebat  
 patriam, cujus Archiepiscopus anno se-  
 quente eyasit. Nam post Archiepiscopi  
 Guilielmi

Ughell. to. 4.  
 p. 256. 280.



Sæcul. XIII.  
A.C. 1240.

Guilielmi Rufolii obitum, qui hoc anno 1240 contigit, Canonorum suffragia de ejus successore diu non convenerant. Tandem illi fratris Leonis, Theologi & concionatoris celebris, arbitrio rem profus permisere. Qui ea pensitata dixit: *Quandoquidem vobis tam bona de me opinio est, me ipsum declaro Archiepiscopum.* Omnis populus mirabatur primum, dein applausit, & Papam consentientem habuit. Leo in Archiepiscopum consecratus fuit an. 1241, ac sedecim annis sedem occupavit.

Imperator in sua ad Regem Anglorum epistola ita pergit: *Tot damna & probra diutius ferendo impares, ad defendendam nostram & Imperii causam enses strinximus contra hostem apertum, qui nos profanis invadit armis, nostri cruoris sitiens. Postquam in Liguria nobis dedita satis virium reliquimus, multis in Hetruria Imperii juribus instauratis, & dilecto filio nostro Henrico ad restituendam nobis Marchiam Anconitanam misso, Umbriam Romanæque viciniam versus cum victricibus Aquilæ nostris ipsimet processimus. Loca omnia Viterbium usque paucissimis urbibus exceptis nostræ ditionis sunt: Roma ipsa nos vocat, ita, ut desperans inimicus noster sacros milites contra nos legeret, nos velle Romanam Ecclesiam evertere, & SS. Apostolorum reliquias profanare falso perhibens. Sed ad induen-*



*induendam crucem tesserariam neminem per-*  
*movit præterquam famulos, vetulasque ac per*  
*paucos milites mercenarios.*

Sæcul. XIII.  
A. C. 1240.

§. XXXVI.

*Papa Imperium Francie offert.*

Cardinalis Jacobus Episcopus Præne-  
 stinus in Galliam delatus, per univer-  
 sum Regnum promulgavit anathematis  
 sententiam a Papa contra Imperatorem  
 Fridericum latam. Sed hunc nullam e-  
 jus rationem habere videns, Meldas con-  
 vocavit Archiepiscopos, Episcopos, &  
 Abbates, de re tanti momenti delibera-  
 turos. Hoc in concilio quibusdam isto-  
 rum Præsulum in omnium præsentia Pa-  
 pæ nomine præcepit, ut, cum primum per  
 negotia liceret, secum Romam ipsimet  
 peterent, promisitque se facturum, ut  
 Viennæ Allobrogum naves & quidquid  
 ad marinum iter necessarium sit, obti-  
 neant, cum Fridericus terra per suos vias  
 omnes teneat, seduloque custodiat. Idem  
 Legatus Silvanectum accivit provinciæ  
 Remensis Episcopus, omniumque pro-  
 ventuum Ecclesiasticorum vigesimam par-  
 tem in Papæ subsidium impetravit.

*Gesta*  
*S. Lud.*  
*Duchesne*  
*to. 5. p. 335.*  
*to. XI. conc.*  
*p. 371.*

*Meyer 8.*  
*ann. Fland.*  
*to. XI. conc.*  
*p. 371.*

Papa etiam Regi S. Ludovico litteras  
 misit coram omnibus Franciæ Optimati-  
 bus legendas, & hanc in sententiam scri-  
 ptas: *Post maturam deliberationem, cunctis*  
*Hist. Eccles. Tom. XX,      A a      cum*

*Matth. Par.*  
*1239. p. 464.*



Sæcul. XIII.  
A. C. 1240.

*cum fratribus nostris Cardinalibus initam, condemnatum Fridericum dignitate Imperatoria, cujus titulum sibi sumit, excuimus, & pro illo substituendum Comitem Robertum fratrem tuum elegimus, cui ad id honoris fastigium efferendo tuendoque Ecclesia non Romana solum, sed universa omne auxilii genus ferre statuit. Promptissimis ergo amplexibus oblatam vobis tantam gloriam excipite! Rex sanctus ex Procerum consilio tale dedit responsum. Qua ratione Papa tam magnum Principem, qui inter Christianos æqualem habet neminem, loco movere ausus est nec objectorum sibi scelerum convictum, nec ea confessum? Si exauthorari esset meritus, non nisi per generale concilium deprimi deberet: & ad ejus crimina quod attinet, non est habenda fides inimicis ejus, quorum præcipuum esse Papam constat. Nos innocentem credimus: nobis bonus semper vicinus fuit: nec in eo quidquam, vel bonæ fidei profanis in negotiis, vel veræ Religioni contrarium deprehendimus. Strenue, ut scimus, JESU Christi cultum in Terra sancta promovit, se maris ac belli periculis exponens, & Papa, quem protegere debebat, absentem spoliare conatus est.*

*Nolumus tam grandia subire discrimina, arma inferendo Friderico Principi tam potenti, quem tot Regna, & æquitas causæ suæ contra nos defenderent. Quid Romanorum interest, ut nostrum prodigamus sanguinem,*  
dummo-



diuimodo, quæ cupiunt, faciamus? Si Pa-  
 pa per nos vel alios Fridericum sibi subijce-  
 ret, intolerabili superbia inflaretur, cun-  
 ctosque Principes pedibus calcaret. Ne ve-  
 ro rem tantam offerentis officia negligere  
 videamur, quamvis ab odio in Imperatorem  
 potius quam a favore erga nos profecta esse  
 pateat, Legatos ad Fridericum mittemus, qui  
 ejus sensa de fide catholica solerter inda-  
 gent, & ad nos referant. Si orthodoxum  
 inueniant, cur adoriamur? Sin minus, ho-  
 stiliter insectabimur, sicut quemvis alium, Pa-  
 pamque ipsum.

Legati proin Gallici ad Imperatorem  
 profecti, quid epistola Papæ contineat,  
 exponebant. Attonitus ille se Christia-  
 num & catholicum, suamque religionem  
 per omnia fidei capita sanam esse repo-  
 suit, adjungens: Absit, ut a fide meorum  
 patrum, & illustrium antecessorum deslectam!  
 Divinam vero justitiam invoco adversus  
 illum, qui me per totum orbem sic infamat.  
 Hæc loquens inter lachrymas & singul-  
 tus ad coelum manus tendebat. Tum  
 ad Legatos conversus, Amici mei & chari  
 vicini! ajebat, quæcunque inimicus asserat  
 meus, credo & sentio cum cæteris Christia-  
 nis: & quando me bello petitis, ne miremini,  
 si me tuear. In Deo innocentium defen-  
 sore spem colloco. Novit ille, Papam mihi  
 non adversari, nisi ut rebelles contra me ci-  
 ves foveat, præsertim hæreticos Mediolanen-  
 ses.



Sæcul. XIII. *ses.* *Sed vobis gratias ago, quod per re-*  
A. C. 1240. *sponsum meum vos de veritate rei securos red-*  
*dere prius volueritis, quam ejus officia ad-*  
*mittatis. Legati respondebant: Christianum*  
*Principem sine justa causa nos aggressu-*  
*ros putas? hoc Deus avertat malum!*  
*Nulla nos ambitio tangit: Regem nostrum,*  
*cui nascendi sors coronam dedit, cuivis Prin-*  
*cipi electo præferimus. Comiti Roberto*  
*sufficit tanti Regis esse fratrem. Sic bo-*  
*na Imperatoris cum gratia abierunt. Ro-*  
*bertus erat natu major trium fratrum*  
*S. Ludovici, ab hoc comitatum Atreba-*  
*tensem in partem suam nactus.*

*An. 1240.*

Germaniæ quoque Principes, ut alium  
 Imperatorem eligerent, sollicitavit Papa;  
 sed incassum: & quidam responderunt,  
 eum non habere jus Imperatorem con-  
 stituendi, sed coronandi duntaxat illum,  
 quem Principes elegissent. Sic loquitur  
 Albertus Abbas Stadenfis in Saxonia  
 inferiore, illius temporis scriptor; ac e-  
 numerat Imperii Electores, tres Archi-  
 episcopos, Trevirenses, Moguntinum, &  
 Coloniensem; Comitem Palatinum *Da-*  
*piferum*, Ducem Saxoniæ *Marescallum*,  
 Marchionem Brandeburgicum *Camera-*  
*rium*: Regem Bohemiæ *Pincernam* esse  
 dicit, non Electorem, cum non sit Ger-  
 manus.



## §. XXXVII.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1240.

*Papa Ecclesiasticorum Angliæ proventuum quintam partem postulat.*

Interea Legatus Otto edictum in Anglia promulgari iussit hunc in modum: *Matth. Par. 1240. p. 470.*  
Comperimus, quosdam hujus Regni sacros milites pugnando impares, ut a voto suo absolvantur, Romam petere. Quam ob rem significamus, a Papa nos iussos esse, itineris sumptus & molestias levandi gratia illos non absolvere tantum, verum etiam ad redimenda vota sua adstringere, ut ad consequendam hanc gratiam se nobis fistant. Datum Londini 15. Febr. Tum Fratres Prædicatores Minoresque & alii Theologi Cruce signatos a voto absolvere cœperunt, sed accepta prius pecuniæ summa, quæ cuius in transmarinum iter infumenda fuisset: id quod populo non modicæ fuit offensionis.

Deinde omnes Angliæ Episcopi, præcipui Abbates, & quidam Proceres Radingam convenerunt Papæ mandata audituri. Otto Legatus eis longo in sermone ab oculos posuit, quibus illum modis Imperator divexaret, addiditque, Papam ab iis quintam proventuum partem impense poscere. Episcopi, cum consultassent, reposuerunt, se sibi tantum onus

A a 3 ad



**Sæcul. XIII.** ad totam spectans Ecclesiam sine matura  
**A. C. 1240.** deliberatione non imposituros: itaque  
 spatium satis longum obtinebant. Hoc  
 in conventu præsentibus erant Richardus  
 Cornubiæ Comes, Regis frater, multique  
 alii Proceres Cruce signati, qui valere  
 Præfules jubebant, Terram sanctam pe-  
 tituri. Præfules obortis lacrymis ad  
 Comitum, *Domine!* inquebant, *cur nos*  
*deseris? Extraneis nos in prædâ relinquis.*  
 Comes ad Archiepiscopum Cantuarien-  
 sem conversus, *vel si militiæ sacræ nomen*  
*non dedissem, discederem tamen, ne Regni*  
*calamitatem & mala cernerem, quæ impedire*  
*nequeo, quamvis posse videar.*

**Matth. Par.** Edmundus Archiepiscopus Cantua-  
**p. 41.** riensis consensit primus in colligendam  
 quintam partem Ecclesiasticorum pro-  
 ventuum: pro se octingentas argenti se-  
 libras collectoribus Pontificiis, donec ur-  
 gerent, haud expectans dedit, ac reliquos  
 Angliæ Præfules exemplum suum se-  
 quentes habuit. Tam facilem vero se  
 præbuit ob spem Ecclesiæ Anglicæ gran-  
 de comparandi bonum, scilicet electio-  
 num libertatem. Per epistolas roboris  
 plenas ac per Legatos spectabiles Papæ  
 Gregorio conquestus erat, quod Reges  
 perverso more viduos Episcopatus & cœ-  
 nobia opprimerent, atque canonicis ele-  
 ctionibus per subdolas artes quorundam  
 eligentium mercede conductorum obsta-  
 rent.



rent. Petens igitur, ut, quoties Eccle-Sæcul. XIII.  
 sia quædam sex mensibus vacasset, Me- A.C. 1240.  
 tropolitanus ei prospiceret, magnis sum-  
 ptibus a Papa litteras impetraverat, qui-  
 bus is hoc in molimine se ab ipso statu-  
 rum pollicitus erat. At Regi, qui coro-  
 næ suæ dignitatem impeti perhibebat,  
 cedente Papa, sancti Archiepiscopi mo-  
 litio effectu caruit.

Aliquamdiu post Papa eundem ac E- p. 475. 476.  
 piscopus Lincolniensem & Sarisburi-  
 sem per litteras jussit trecentis Romanis  
 beneficia primo vacua tribuere: alioquin  
 beneficium conferendi potestatem eos  
 nullam habere voluit, donec ille nume-  
 rus completus esset. Mirantes magno-  
 pere Angli dicebant, Papam cum Roma-  
 nis paciscentem, eorum filiis & cognatis  
 tot, quot vellent, in Anglia beneficia præ-  
 fertim Regularium spondidisse hac con-  
 ditione, ut armorum societatem contra  
 Fridericum inirent. Insuper a Papa mis-  
 sus in Angliam Petrus Rufus, cum Reli-  
 giosorum senacula intrasset, ut eos ad  
 pendenda subsidia impelleret, *Volo quin-  
 tam proventuum partem, aiebat: Episco-  
 pus N. & N. Abbas N. & N. libenter  
 jam satisfecerunt: cur tamdiu cunctamini?  
 forsitan, ut pecunias dantibus nulla vobis  
 gratia habeatur? Curabat idem, ut quæ-  
 vis congregatio & semestri hac de re si-*



Sæcul. XIII. lentium sponderet, & ante alias præstitæ  
 A.C. 1240. solutionis honorem se adeptam crederet.

## §. XXXVIII.

*Clerus se opponit.*

p. 477.

Abbatibus coram Rege conquerentibus duo erant Oratores, Abbas ad S. Edmundum & Abbas Belensis. *Domine!* inquebant, *Papa intolerandum nobis imponit onus. Habemus a te prædia clientelis ac ditioe illustria. Nec ista sine damno tuo bonis exhaurire, nec pensiones pro terris illis debitas exsolvere possumus & simul Papæ satisfacere, qui novis indies exactionibus nos premit, nullam nobis respirationem concedens. Ut hac in re nos protegas, supplicamus.* Rex obliquis eos oculis & minacibus excepit verbis: dein ad Legatum tunc præsentem conversus, *En nullius pretii homines, ajebat, qui Papæ arcana prodentes, ne tibi pareant, lamentantur! Fac eis, quod tibi placet! Optimis ex arcibus meis aliquam tibi commodo, ut eos in carcerem ibi compingas.* Miseri Abbates pudore suffusi abibant, ad gerendum Legato morem parati.

Similem in modum loquendum sibi censebat cum Episcopis, eandem ob causam Northantoniam convocatis. Sed Abbatum exemplo eruditi reponebant: *Habemus Archidiaconos, qui obnoxiorum*  
*sibi*



sibi beneficiorum opes noverunt. Præterea Sæcul. XIII.  
 hoc negotium commune omnium est: nec in A. C. 1240.  
 cæterorum Præsulum absentia respondere  
 possumus. Designata illis est dies S. Joan-  
 nis octava seu prima Julii: qua congregati, cum Legato prælenti aperte contra-  
 dicere nollent, modeste rationes suas  
 proponebant. Haud decet nos, inquie-  
 bant, hanc pensionem solvere, quæ ad fun-  
 dendum Christianorum sanguinem, & ad  
 impugnandum Principem cum nostro fædera-  
 tum pertinet; nam ad bellum cum Impera-  
 tore gerendum dirigitur, ut Papæ manda-  
 tum sonat. Etiam censuras minatur obfi-  
 sentibus: Hæc vero vis est, & quod conse-  
 quitur, libertatem violat Ecclesiasticam. In-  
 super jam dedimus Papæ decimas ea condi-  
 tione, ut ne deinceps similem, multo minus  
 quintæ partis exactionem faceret, quam  
 modo facit, & quæ in consuetudinem ne ab-  
 eat, metuendum est. Curiam Romanam, u-  
 bi aliqua semper negotia nobis gerenda sunt,  
 adire nequimus nisi per terras Imperato-  
 ris, qui capere nos ac divexare posset. Rex  
 noster plures habet hostes, contra quos bel-  
 lum sibi suscipiendum cogitat. Quare in-  
 tutum foret incidere Regni nervos jam solu-  
 tos abitu virorum Nobilium ad militiam sa-  
 cram grandes pecuniæ summas asportantium.  
 Etiam patronis Ecclesiarum noxia esset hæc  
 pensio, nec in eam consensuri videntur. De-  
 nique res est toti Ecclesie communis, & con-



Sæcul. XIII.  
A. C. 1240.

v. Bau-  
brand.

p. 478.

*cilio generali reservanda, quod convocatum iri rumor ad nos pertulit. Legatus auditis his rationibus perturbationem animi dissimulavit, faventiolem expectans occasionem.*

Barcherensis igitur provinciæ seu Comitatus Bercentis Curiones sacros congregavit, quibus eandem rem proposuit multis cum minis ac promissis. Illi se referentes ad responsum Episcoporum has addebant rationes: *Non exsolvenda est pensio contra Imperatorem tanquam hæreticum, cum nec Ecclesiæ judicio condemnatus sit, nec convictus, quamvis anathemate percussus fuerit. Sicut Romani Ecclesiæ suum est patrimonium, cujus administratio ad Papam spectat, sic Ecclesiæ reliquæ suas habent terras Romani nequaquam tributarias. Omnia quidem ad Principem pertinere dicuntur, non vero tanquam propria; nec de dominio sermo est, sed de cura & regimine: atque ita omnes Ecclesiæ ad Papam attingunt. Ligandi & solvendi potestas se non extendit ad faciendas exactiões. Proventus Ecclesiarum destinati sunt certis usibus, veluti conservandis ædificiis, sustentandis ministris & pauperibus: alios ad usus applicandi non sunt nisi ex auctoritate Ecclesiæ universalis. Sed vix ad alendum Clerum sufficiunt tum ob tenuitatem suam, tum ob annonæ penuriam interdum accidentem, tum ob inopum multitudinem. Accedit,*



dit, quod jam nemini plura beneficia posside-  
re liceat.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1240.

Hæc pensio auget offensioem, in quam  
Romana incurrit Ecclesia. Palam enim  
ajunt: Similes exactiones jam alias factæ  
sunt. Extortis vero pecuniis exhausto Cle-  
ro, mox pacem confecerunt Papa & Im-  
perator: nec obolus tamen est redditus: im-  
mo siquid solvendum supererat, eodem ri-  
gore exigebatur. Præterea plerique Chri-  
stianorum ad militiam sacram voto ad-  
stricti sunt, quod vel per se vel per alios ex-  
equi a Papa coguntur: nequeunt autem  
hanc simul pensionem exsolvere, a qua immu-  
nes sunt, tanquam milites sacri per triennium  
suis proventibus integris fruendi copiam con-  
secuti. Legatus cum consiliariis suis tan-  
tam Episcoporum, Curionumque constan-  
tiam videns, eos dividere statuit, ac Re-  
gi facile id persuasit: illius comites si-  
gillatim Episcopos & Archidiaconos al-  
locuti, maximarum spe dignitatum lacta-  
tos plerosque adduxerunt, ut in pensio-  
nem consentirent.

p. 479.

§. XXXIX.

*Richardus Cornubiæ Comes in  
Palæstina.*

Interim Richardus Cornubiæ Comes An-  
glorum Regis frater, inter festos dies  
Ascensionis Domini ac Pentecostes, scili-  
cet

Matth. Par.  
p. 479.



**Sæcul. XIII.** cet sub finem Maji Londinum venit, Re-  
**A.C. 1240.** que ac Proceribus valere jussis, con-  
 scensa Dorobernii nave Galliam præter-  
 vectus Provinciam attigit. Fanum San-  
 cti Ægydii delato Legatus quidam &  
 Archiepiscopus Arelatensis suadebant,  
 immo prohibebant, ne Terram sanctam  
 peteret. Miratus simul & indignatus  
 Comes, *Quæ mihi, ajebat, Papæ nomine*  
*dicebantur, bona fide credens, omnia paravi*  
*Et nunc in ipso itineris ineundi articulo Pa-*  
*pa, qui verbis suis nunquam non stetisse*  
*fertur, Christi cultum promovere me ve-*  
*tat.* Nec inhiberi se sermonibus Lega-  
 torum passus, Massiliæ secunda Septem-  
 bris hebdomade navigio se commisit,  
 postquam ad Imperatorem Nuncios lega-  
 verat, qui eum de Papæ inconstantia e-  
 docerent.

*Id. p. 486.*  
*p. 504.*

In pervigilio S. Dionysii nempe 8 O-  
 ctobris Ptolemaidis portum ingressus, eo  
 majore gaudio excipiebatur, quo pejore-  
 rat Christianorum in Palæstina conditio.

*Id. p. 474.*  
*Sanut. p. 215*  
*p. 15.*

Petrus Britanniae Comes, qui anno prio-  
 re illuc advenerat, in propinquos Damas-  
 co agros impetu dato, opimam ad exer-  
 citum prædam advehens, reliquorum Pro-  
 cerum invidiam subiit. Octiduo post Dux  
 Burgundiæ, Comites Barenfis ac Mont-  
 fortius & quam plurimi focii Comite Bri-  
 tanniæ in consilium non adhibito aliam  
 fecerunt excursionem. Sed in ea Co-  
 mes

*Gesta*  
*S. Lud.*  
*c. 334.*



mes Barenfis cum magno aliorum Pro-  
cerum numero cæsus, Amalaricus Mont-  
fortius captus & Babylonem Ægypti si-  
ve Cairum ductus, Dux Burgundiæ fuga  
sibi consulere coactus est: clades prope  
Gazam contigit.

Hic tristis eventus Imperatori novas *Matth. Par.*  
contra Papam querimonias jactandi oc-*ibid.*  
casionem præbuit; ut apparet ex litte-  
ris, quas hac super re ad Regem Angliæ  
affinem suum Foveæ in Regno suo 25 A-  
prilis an. 1240 scripsit in hanc senten-  
tiam: *Crucesignatos magnopere exhortati  
sumus, ut iter differrent suum, donec ducem  
suum agere nobis per Italiæ res liceret.  
Et vero morem gesturi erant; sed Papa ma-  
lam in partem nostra detorquens verba, eos  
ad iter urgere non destitit, quidquid op-  
poneremus. Etenim præmaturæ festinatio-  
nis discrimen, & milites sacros unicum sub  
caput colligendi necessitatem illi ob oculos  
ponebamus. Omnibus his rationibus con-  
temptis Papa Cruce signatis vehementius,  
quam antea, instabat, non considerans, si in-  
ducias nos inter ac ethnicos factas viola-  
verint, Christianorum trans mare versantium  
reliquias ferro aut fame pereundi periculo  
expositum iri. Concludit epistolam spon-  
dendo, se Terræ sanctæ laturum suppe-  
tias, quantascunque mittendo par sit fu-  
turus tam turbulentis temporibus.*

Richardi



Sæcul. XIII.

A. C. 1240.

*Matth. Par.*

p. 486.

*Id. an. 1241.*

p. 534.

Richardi Cornubiæ Comitis adventus erexit animos illa strage perculsos. Tertio post die, quam advenerat, Ptolemaide edici jussit, ne quis e Christianis peregrinis ob inopiam discederet: se suis eos sumptibus aliturum, si utilem præstarent operam. Rex Navarræ ac seniores Britanniæ Comes de adventu ejus certiores facti quindecim abhinc diebus cum magna militum sacrorum multitudine abierant, postquam cum Nazerio Caracensi Dynasta tolerabiles erant inducias pacti, ne nihil egisse viderentur. Verum ante conditam pro executione diem migraverant. Comes Richardus, cum quendam ad Nazerium misisset, inducias ex arbitrio ejus non pendere audiit. Sed Joppen usque progressus, ab Ægypti Sultano nuncium accepit, Domini sui nomine inducias offerentem. Consensit proinde ex consilio Ducis Burgundiæ, Comitis Gualterii, Præfecti Domus hospitalis, ac cæterorum Nobilium: atque initæ sunt induciæ ea lege, ut Christianis Proceres in clade ad Gazam capti, & loca multa redderentur, eaque durantibus induciis muniendi libertas esset. Richardus illis in locis hyemem egit, ab Ægypti Sultano responsum opperiens, cui pactiones jurejurando firmandas miserat.



## §. XL.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1240.*Obitus Jacobi Vitriacensis.*

Geroldo Latino Patriarcha Hierosolymitano rebus humanis erepto, quod an. 1239 factum, hic titulus aliquanto tempore vacavit: dein Canonici Jacobum Vitriacensem, Episcopum Tusculanum & Cardinalem elegerunt. Sub annum 1218. Ptolemaidis Episcopus evaserat, multisque annis in Palæstina transactis Romam venit, ubi eum Papa Honorius III. & Cardinales, inter alios Hugo seu Hugolinus Episcopus Ostiensis benignissime excipiebant. Hunc Jacobus singulari secum amicitia junctum a violentis contra Religionem tentationibus per reliquias B. Mariæ Ogniacensis liberavit. In Palæstinam & inde Romam reversus ex consensu Papæ Honorii Episcopatus onera deposuit. Tum Ogniacum reversus, inter Canonicos Regulares, ut antea, egit, sæpe in provincia de rebus divinis verba faciens. Cum vero comperisset, amicum suum Cardinalem Hugolinum in Papam electum nomen Gregorii IX sumpsisse, eum summa in dignitate coram honorandum sibi esse censuit, nec aures præbuit Priori Ogniacensi, qui ipsum a novo Papa non dimissum iri dicebat. Ergo Romam profectus an. 1229

*Alberic.**p. 574.**Sup. Lib.**LXXVII.**§. 1. 3. 78.**§. 28.**Boll. to. 22.**p. 672. Vita**per And.**Hojum.**Boll. p. 669.*

Jacobus



Sæcul. XIII. Jacobus eodem anno Cardinalis Episcopus  
 A. C. 1240. Tusculanus creatus est.

Hoc in statu erat, cum cooptatus est Patriarcha Hierosolymitanus. Sed Papa Gregorius ejus in curia Romana præsentiam operamque Ecclesiæ universæ necessariam esse ratus, postulationem haud admisit: & Cardinalis paulo post de vita decessit nimirum ultimo Aprilis an. 1240. Ejus ossa sequente anno ad monasterium Ogniacense, ut voluerat, delata sunt. Plurima ejus scripta supersunt. Historia Orientis, in qua situm regionum, populorum mores, & continentem rerum ordinem seriemque a Mahomete usque ad annum 1229 describit. Historia Occidentis, in qua statum Ecclesiæ Latinæ sui temporis, ac sigillatim diversos Ordines Religiosos depingit. De sacerdotibus, quos sæculares vocant, loquens, eos ad exsolvendum horarium divini officii pensum adstrictos esse affirmat, utcunque occupati sint, monetque, ut quamlibet ejus partem designato tempore peragant, atque si hoc fieri non possit, anticipent potius quam differant. Habemus etiam ab illo Vitam B. Mariæ Ogniacensis, multosque sermones. Post ejus mortem Papa Sedi Hierosolymitanæ providendi jus ad se recidisse perhibens, illuc Robertum Episcopum Nannetanum transtulit, qui duas jam Ecclesias

Cathe-

p. 678.

Alberic.

p. 575. 579.

Cave. 492.

c. 34. p. 365.

Sup. Lib.  
LXXVII.

S. 3.

Alberic.

p. 575.

Id. p. 577.



Cathedrales egregie gubernaverat. Id Sæcul. XIII.  
 patet ex litteris Pontificiis Romæ 14 Ma- A. C. 1240.  
 ji 1240 datis. Posthæc eum Papa in pro- ap. Rain.  
 vincia Hierosolymitana & in exercitu 1240. n. 74.  
 Christiano suum esse Legatum voluit.

## §. XLI.

*Papa concilium convocat.*

Friderico in Italia majores indies pro- Petr. de Vin.  
 gressus faciente, præcipuorum Cardi- I. ep. 36.  
 nalium quidam & aliquot Religiosi suam  
 interponebant operam, ut Papa & ille in-  
 ducias ac demum pacem inirent. At  
 cum Lombardos iis contineri Papa vel- Matth. Par.  
 let, Cæsar nollet, nihil statutum est, ut p. 484.  
 liquet ex hujus epistola 18 Jul. 1240 da-  
 ta. Deinde Papa Episcopum Brixien-  
 sem ad Imperatorem misit, eique dici cu-  
 ravit, se pacis jungendæ gratia in prox-  
 mum Pascha indicere concilium velle,  
 atque ut Præsules & Optimates tuto ad  
 id venire possint, saltem ad illud tempus  
 usque inducias pangendas esse, quæ Lom-  
 bardos quoque comprehenderent. Fri-  
 derico pertinaciter recusante litteras ta-  
 men ad convocandum concilium circum-  
 misit.

Habemus illas, quas ad Archiepisco-  
 pum Senonensem dedit, & in quibus præ-  
 ter gravia sanctæ Sedis negotia aliam  
 non exprimens causam, eum ad prox-  
 mum

*Histor. Eccles. Tom. XX.* B b mum



Sæcul. XIII. A.C. 1240. mum Pascha Romam proficisci, & provinciae suae collegiis, Abbatibus, aliisque nominatim haud dictis injungere jubet, ut illuc nuncios mittant. Scripsit simul Regi S. Ludovico, ut ad concilium Legatos mitteret suos: & has duas ille epistolas 9 Augusti dabat. Similes ad reliquos Præsules Principesque misit.

## §. XLII.

*Imperator se opponit concilio.*

*Petr. de Vin. l. ep. 34.*  
*Matth. Par. p. 484.*  
*Rain. 1240. n. 56.*  
*Nang. Gesta p. 335.* Lectis his litteris Fridericus Regibus Galliae & Angliae epistolam 13. Septemb. datam scripsit, in qua concilium universale a se petatum esse fassus, quem exitum negotiatio induciarum elapsa aestate haberit, refert; deinde queritur, quod Papa in convocatione concilii de agitandis ibi pacis consiliis nullam, sed solam de grandibus Ecclesiae Romanae negotiis mentionem faciat. *Vide, adjungit, quomodo tempus in consilium adhibeat! Denegatum nobis concilium convocare vult, postquam ci- ves rebelles invasimus. Considera viros, quos nominatim appellat! Illi non sunt Legati tui, qui ei tam saepe tuo nomine pacis media proposuerunt; sed Comes Provinciae, Dux Venetorum, Marchio Atestanus, alique manifesto contra nos seditiosi, ac ejus pecuniis corrupti, ut publice ajunt. Postea de Pa- pa loquens, Quamdiu, inquit, dissidium*

nos



nos inter ac illum durabit, non permittemus, *Sæcul. XIII.*  
 ut concilium congreget hostis Imperii decla- *A C. 1240.*  
 raturus; præsertim, quia nos, Imperium, Prin-  
 cipesque cunctos dedecet tribunali Ecclesiæ,  
 aut concilii iudicio subijcere causam, in qua  
 de profana potestate nostra agitur. Itaque  
 in terris nostræ ditioni subditis nec viris ad  
 hoc concilium vocatis, nec eorum bonis par-  
 cemus: Teque oramus, ut in Regno tuo edi-  
 ci cures, ne quis Præsulum, se a nobis tutum  
 fore sperans, concilium istud adeat. Dabat  
 13 Sept. indictione 14, nimirum anno  
 1240 in castris ad Faventiam, quam a  
 mensè Augusto obsidebat.

*Ric. S. Ger.*  
*p. 1035.*

Præter memoratas jam causas ob-  
 sistendi concilio, quod antea ipse postu- *Matth. Par.*  
 laverat, videamus alias, quas proferebat! *p. 485.*  
 Destinatum tempus, inquiebat, est nimis  
 breve, & nunquam in id consensi. Car-  
 dinalis Otto, Pontificius in Anglia Lega-  
 tus, ac Rex Henricus, ut me dedecore at-  
 que infamia premerent, ab Ecclesia pro-  
 scriptum me in Regno promulgari jussere,  
 quod exhausserunt pecuniis in meam perni-  
 ciam collatis. Est proin, cur omnes An-  
 glicæ Præsules pro inimicis habeam, & Ju-  
 dices habere renuam, eo magis, quod hi  
 Præsules ac Rex ipse Papæ, non mihi vel  
 Imperio fidem juraverint. Papa pecunias  
 a Gallia & præcipue ab Anglia expectat,  
 easque se inimicis meis daturum spon-  
 dit: id quod illorum ferociam auget. De-

Bb 2 nique



Sæcul. XIII. *nique concilii tempore forsitan diuturno re-*  
 A.C. 1240. *spirare poterunt, & Papæ præsidio suas con-*  
 firmare vires.

Baluz Mi-  
 scel. to. I.  
 p. 458.

p. 462.

Fridericus simul evulgari iussit epistolam sine nomine, Præsules ab adeundo concilio amice dehortantem. *Debetis, dicit, perpendere pericula, quæ terra, marique, quin etiam Romæ vos manent, quando illuc adveneritis. Omitto discrimina terræ, ubi mors quasi certa est, nullusque transitus potest fieri: sed marina pericula cogitate!* Ibi author epistolæ excurrit in amplissimum locum communem, qui probando nimium probat nihil, dum ad dissuadendam generatim omnem navigationem tendit. Postea de Friderico loquens addit: *Crudelis hic Tyrannus terra & mari potens edici iussit, si quis ipso prohibente se in viam det, nec vitam nec bona ejus securum fore. Tam furioso & nullius fidei viro, quem sævitia novum Herodem, impietate alterum Neronem dixerim, huic Domino cunctorum Italiæ portuum, Genuensem si excipiam, quam plurimas triremes piratis plenas haud cægre collecturo exponere vos audebitis? An comprehensis parcat, vel suum qui filium in catenis detinet?* Sub hæc author memorat Romanæ commorationis & morborum pericula, dissensionem & vitia civium, calorem aëris minime salubris, reditum non minus itinere priore difficilem, cum eos vocans Papa continenter



nenter domi suæ maneat discrimini nulli obnoxius.

Sæcul. XIII.

A. C. 1249.

Ad convocationis causas deinde venit. *Papa eam ponderosis Ecclesiæ negotiis adscribit; & nemo ignorat, tribuendam esse discordiæ inter illum ac Cæsarem ortæ. Sed quemadmodum hanc tempestatem vobis inconsultis commovit, ita sine vobis sedare potest: aut si vestris eget consiliis, per litteras poscat, vel per Legatum, nec vos tantis periculis objiciat! Ut Fridericum ad ultimas adigat angustias, locoque moveat, & alium substituatur Imperatorem, vos, ut satis liquet, vindictæ suæ instrumenta esse vult, & magnas secum impensas facere ad executionem necessarias. Id vero æquum non est, cum suscepti ab eo consilii participes non fueritis; & hoc esset idem, ac per obedientiæ speciem ad perpetuam vos servitutem adstringere.*

p. 466.

Papa Gregorius metuens, ne hæc Friderici oppositio suum haberet effectum, ad omnes Episcopos epistolam circummisit, in qua eos has minas parvipendere, Deum homini præferre, ac præscripto tempore cunctis difficultatibus perruptis Romam petere jubet, omnia ad executionem hujus magnæ rei necessaria se curaturum spondens. Dabat Romæ 15 Octobris. Præfules Gallici Papæ obsequentes & Legatus Jacobus Cardinalis Episcopus Prænestinus itineri se

ap. Rain.

n. 57.

to. XI. Conc.

p. 350.

Nang. Geste

p. 335.

B b 3

com-



Sæcul. XIII. commifere: Sed Viennem Allobrogum  
A.C. 1240. delati, nec lembum, quo transveheren-  
 tur, nec præfidium inveniebant, quod  
 Cæfaris partium vim arceret, cunctos ter-  
 ra marique aditus tenentium. Hinc  
 multi redierunt; fcilicet Archiepifcopi  
 Turonenfis & Bituricenfis, Epifcopus Car-  
 nutenfis, & magnus Nunciorum nume-  
 rus: cæteri fidentiores navigia conscen-  
 derunt.

## §. XLIII.

*Synodus Vigornenfis.*

*to. XI. Conc.* In Anglia Gualterius Cantilupius Epis-  
*p. 572.* copus Vigornenfis poſtridie Feſtum  
 S. Jacobi, nimirum 26 Jul. an. 1240 ſuam  
 Synodum Dioceſanam habuit, in qua  
 conſtitutiones quædam puncta notatu  
 digna continentes edixit, Laſci non  
 ſtent in choro, ſeu concha templorum,  
 præterquam patroni & illuſtres. Baptis-  
 mus in caſu dubio adminiſtretur ſub con-  
 ditione; ſed illum accipiens ſemper tunc  
 aquæ & quidem ter immergatur: & pue-  
 ri duos ſaltem patres luſtricos, puellæ  
 duas matres luſtricas habeant. Patres  
 luſtrici infantem ſuum intra annum  
 natalem ſacro Chriſmate perungendos  
 Epifcopo offerant: alioquin ab ingreſſu  
 Eccleſiæ ad tempus arceantur. Itaque  
 tunc nondum expectabatur ætas ratio-  
 nis

*v. Marten.*  
*de ant. rit.*  
*lib. I. c. 2.*  
*p. 236.*



nis compos; sed servabatur antiquus Sæcul. XIII.  
 mos baptismati confirmationem, utpri-  
 mum fieri poterat, subjungendi sacrifi-  
 cium non peragatur nisi recitata divini  
 officii parte, quam vocamus Primam.  
 Sponsalia non nisi jejuni faciant. In  
 matrimoniis nec dies nec menses obser-  
 ventur. Siquis alii quam sacro Curioni  
 suo confiteri velit, hujus permissum poscat,  
 qui modeste petitus non denegetur.

A. C. 1240.

c. 12.

c. 14.

c. 15.

c. 16.

Clerici non gerant arma, nisi se tuen-  
 di necessitas id postulet. Hanc excep-  
 tionem in bona antiquitate admiffam  
 non video. Archidiaconi, dum suos lu-  
 strant, nihil exigant. Nec pecunias ac-  
 cipiant, ut dissimulent crimina, vel pœ-  
 nas mitigent. Sacerdotes eodem die  
 non bis sacrificent præterquam die Chri-  
 sti Natali & Paschatis, vel exequiarum,  
 aut in gravi necessitate. Itaque his in  
 casibus id tunc etiamnum fieri poterat.

c. 23.

Sacerdotes parochianos suos Christi cor-  
 pus suscipientes donaria præbere non co-  
 gant, ne divinum epulum venale reddi  
 videatur. Clerici caupones non agant.

c. 25.

Manifestis eorum concubinis nec panis  
 facer, quem benedictum vocant, nec aqua  
 lustralis, nec pacis osculum detur. Be-  
 neficiorum possessores, qui convenientes  
 sibi Ordines sacros consequi per contem-  
 ptum non curant, fructibus interea pri-  
 ventur potius indigni sacris Ordinibus &

c. 26.

Beneficiorum possessores, qui convenientes  
 sibi Ordines sacros consequi per contem-  
 ptum non curant, fructibus interea pri-  
 ventur potius indigni sacris Ordinibus &

c. 29.

Beneficiorum possessores, qui convenientes  
 sibi Ordines sacros consequi per contem-  
 ptum non curant, fructibus interea pri-  
 ventur potius indigni sacris Ordinibus &

Beneficiorum possessores, qui convenientes  
 sibi Ordines sacros consequi per contem-  
 ptum non curant, fructibus interea pri-  
 ventur potius indigni sacris Ordinibus &

c. 33.

Beneficiorum possessores, qui convenientes  
 sibi Ordines sacros consequi per contem-  
 ptum non curant, fructibus interea pri-  
 ventur potius indigni sacris Ordinibus &

Beneficiorum possessores, qui convenientes  
 sibi Ordines sacros consequi per contem-  
 ptum non curant, fructibus interea pri-  
 ventur potius indigni sacris Ordinibus &

c. 34.

Beneficiorum possessores, qui convenientes  
 sibi Ordines sacros consequi per contem-  
 ptum non curant, fructibus interea pri-  
 ventur potius indigni sacris Ordinibus &

c. 37.

Beneficiorum possessores, qui convenientes  
 sibi Ordines sacros consequi per contem-  
 ptum non curant, fructibus interea pri-  
 ventur potius indigni sacris Ordinibus &

Beneficiorum possessores, qui convenientes  
 sibi Ordines sacros consequi per contem-  
 ptum non curant, fructibus interea pri-  
 ventur potius indigni sacris Ordinibus &

B b 4 bene-



Sæcul. XIII. beneficia declarari vacua debebant, ut  
A. C. 1240. mihi quidem videtur. Nemo Christiano-  
 rum pecuniam Judæo committat, ut hu-  
 jus opera foenus exercent.

## §. XLIV.

*Mors S. Edmundi Cantuariensis.*

*Matth. Par.* Sanctum Archiepiscopum Cantuarien-  
*p. 476.* sem gravissime commovebant mala,  
 quibus Ecclesiam Anglicam indies affli-  
*Sup. §. 37.* gi cernebat. Consensus in collectam a  
 Papa petitam nullum effectum bonum  
 habuerat: immo Ecclesia premebatur  
 magis, & libertate, juribus, ac bonis suis  
 spoliabatur. Vir sanctus collectæ per-  
 missum Regi objiciens, præter dilationes  
 responsum tulit nullum. Ergo dolore  
 obrutus, ac pertæsus vitæ, ad exilium i-  
 pse se damnavit, & in Galliam profectus,  
 immutato comitatu suo in Abbatiam Pon-  
 tiniacensem exemplo Sancti Thomæ an-  
 tecessoris sui se contulit.

*Vita c. 21.*  
*ap. Sur.*  
*16. Nov.*

Summa reverentia exceptus, post-  
 quam fedem ibi suam posuerat, lectioni,  
 precibus continuis ac jejuniis sese dabat:  
 libros sua scribebat manu, & interdum  
 vicinis in locis de rebus divinis ad popu-  
 lum dicebat. Cum paucos dies Ponti-  
 niaci mansisset, abstinentia & angore  
 consumptus inter æstatis calores gravem  
 in morbum incidit: & ex medicorum  
 consi-

*Matth. Par.*  
*p. 486.*



consilio falubrius cœlum haustus, Sæcul. XIII.  
A. C. 1240.  
Suessium \* Canonicorum Regularium A-  
sceterium prope Provinum transferri vo-  
luit. Abitum suum dolentes monachos \* Soissy  
ut solaretur, ad diem festum S. Edmun-  
di Regis Anglorum & Martyris, nempe  
20 Novembris se ad eos rediturum pro-  
misit. Interim præter alios nuncios,  
quos semper malos ex Anglia accipiebat,  
omnes a se proscriptos a Legato absolu-  
tos esse comperit.

Ejus morbus, qui erat dysenteria,  
Suessii non remisit, sed ita invaluit, ut ul-  
timum diem suum imminere sibi intelli-  
geret. Tum sacram Communionem pe-  
tiit, extensisque manibus magna cum fi-  
ducia, *Domine!* ajebat, *tu es, in quem cre-*  
*didi, quem colendum, quem amandum esse*  
*revera docui: Et tu mihi testis es, quod te*  
*solum in terra quaesierim.* Assistentes men-  
te motum putabant: loquebatur enim,  
ac si Christus crucifixus coram adesset.  
Cœlesti refectus viatico per totum diem  
tam hilari erat facie, ut ægrotare nemi-  
ni videretur: paremque lætitiâ exhibe-  
bat, cum extremam unctiōnem accepis-  
set. Denique ad Deum excessit 16 Nov.  
an. 1240. Incisum cadaver Sueffienfi-  
bus relicto corde cum iliis, Pontiniacum  
deferebatur, quo ipsa die S. Edmundo  
Martyri sacra ex promisso S. Præfulis ad-  
venit. Ad sepulchrum ejus multa fie-

B b 5 bant



**Sæcul. XIII.** bant miracula. Sub nomine *Saint Em*  
**A. C. 1240.** Campaniæ notus est, quæ singulari eum  
**Bibl. PP.** veneratione profequitur. Superest pius  
**Paris. to. 5.** ejusdem liber quidam *Speculum Ecclesiæ*  
**p. 983.** incriptus, & in gratiam commodumque  
 monachorum Pontiniacensium compo-  
 situs.

## §. XLV.

*Fridericus bello insistit.*

**Ric. S. Ger.**  
**p. 1035.**

**MS. ap.**  
**Vading.**  
**1238. n. I.**

**I**mperator bellum semper in Italia urgens, Faventiam oppugnabat: & mense Novembri an. 1240. Fratres Prædicatores Minoresque e Sicilia expulit, in quovis ipsorum cœnobia duobus tantum pro e- jus custodia relicta, hique ipsi in Regno nati esse debebant. Cum duo Fratres Minores Siculi e patria se sua a Friderico ejectos esse Fratri Ægydio Assisinati conquererentur, *Erratis ô boni!* repon- bat: *Fratres Minores nequeunt e patria pel- li sua, in terra nullam habentes. Quia sunt extra mundum, eorum nihil interest, quem mundi locum incolant: nullus enim datur, quem dicere suum possint: ubique illis pa- tria est. Peccastis itaque in Fridericum, quamvis vehementer deliquerit: calumniam dixistis; nam plus boni quam mali vobis at- tulit, occasionem meriti vobis præbens, nec ve- stram adimens patriam. Ita verus ille S. Francisci discipulus.*

Anno



Anno 1239 Papæ Cardinalem Joan-  
nem Columnam in Marchiam Anconita-  
nam tanquam Legatum suum miserat,  
qui Henrico Imperatoris patris sui nomi-  
ne cum copiis eam ingresso sese oppone-  
ret. Verum Cardinalis a Papa, in quem  
haud æquo erat animo, ad Fridericum  
mense Januario an. 1241 transit: & post  
semestre spatium relicta Roma, loca mul-  
ta Romanis ex odio Papæ ademit. Im-  
perator sequente mense Aprili Beneven-  
to Ecclesiæ Romanæ erepto, die Domi-  
nica, 14 ejusdem mensis Faventia in Æ-  
milia post longam obsidionem potitus, ad  
oppugnandam Bononiam sese paravit.

## §. XLVI.

*Præfules in mari capiuntur.*

Interea quam plurimi Præfules Genuam  
convenerant, mari Romam ad conci-  
lium venturi. Inter eos tres erant Le-  
gati. Jacobus Cardinalis Episcopus  
Prænestinus in Gallia, Otto Cardinalis  
Diaconus in Anglia nuper legatione de-  
functi erant; & Gregorius Romandiola-  
nus Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus, Pa-  
pæ a facello, Genuam missus fuerat, ut  
naves ad trajiciendum pelagus compara-  
ret. Priores duo adduxerant Galliæ,  
Angliæque Præfules, multi etiam ex Hi-  
spania advenerant. Cæterum cum Ge-  
nuen-

Sæcul. XIII.

A. C. 1241.

Ricard.

p. 1033.

p. 1035. 1036

Matth. Par.

p. 499.



Sæcul. XIII.  
A. C. 1241.

nuentibus pacti erant, ut pro pecunie summa cum comitibus suis tutissime Romam veherentur; & Papa se mari missurum eis militarem manum tam numerosam sponderat, ut nihil esset, quod ab Imperatore proscripito & Superis exolo sibi metuerent.

Is re comperta Præsules Genuæ præfentes per Legatos oravit, ut ne marinum, sed terrestre per ipsius provincias iter facerent, securitatem plenam & cujusmodi peterent, pollicitus. *Cupio, subjungebat, meas rationes viva vobis voce exponere: Et cum de æquitate causæ meæ vos perfecte edocuero, eam concilii judicio præcise subjiciam.* Addebat graves de Papa querimonias, *Continuas, iniquas, injurias, Et infamiam mihi ubique attulit, immanium me scelerum sine argumentis insimulans. Periculosum sane foret ejus judicio causam meam committere, cum inimicum se meum declaraverit.* Præsules Legatorum & Papæ, non item Friderici promissis fidendum rati, Genuensium classem intrarunt, magnifice de viribus suis, sed de hostilibus contemptim loquentium.

p. 500.

*Ric. S. Ger.*  
p. 1035.

Imperator Henrico filio suo collectam e Sicilia classem magnam commiserat, cui suam junxerant Pisani, illius partes secuti. Die Veneris, tertio Maji, sanctæ Cruci inventæ sacro duo exercitus navales sibi occurrebant, & post acre prælium Genuen-



Genueses victi, Præsules plerique capti fuerunt. Fridericus Regem Angliæ affinem suum aliosque Principes hac de victoria certiores reddidit per litteras, in quibus ait: *Dominus, qui ex alto videt, ac juste judicat, nostras in manus tradidit tres Legatos, multos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, aliosque Præsules, præter reliquorum Oratores, qui supra centum esse videntur, ac Nuncios rebellium Lombardiæ urbium.* Adjungit alia in epistola hunc prosperum successum fecisse, ut mutato Bononiæ obsidendæ consilio Romam iret, quo se fortuna vocaret. Captivi Pisas primum, deinde mari Neapolim vecti sunt.

Præsules fuga subducti ad Papam miserunt epistolam, quæ portat nomina Archiepiscoporum Joannis Arelatensis ac Petri Tarraconensis, Episcoporum Assuricensis, Auriensis, Salamanticensis, Portuensis, & Placentini in Hispania. *Tendebamus, ajunt, ad Sanctitatem Tuam cum Archiepiscopis Rothomagensi, Burdigalensi, Ausciensi, & Vesuntino: cum Episcopis Carcassonensi, Agathensi, Nemausensi, Dertonensi, Astano, ac Ticinensi, & cum Romipeta misso a Comite Provinciæ. Ille salvus evasit ut nos & Archiepiscopus Compostellanus, qui Portu Veneris manserat, Archiepiscopus Braccarensis, Episcopus Aniciensis, paucique Nuncii: cæteri capti sunt.*

Suppli-

æcul. XIII.  
A.C. 1241.

*Petr. de Vin.  
I. ep. 9.*

*Matth. Par.  
p. 501.*

*P. Vin. ep. 8.*

*ap. Rain.  
n. 58.*



**Sæcul. XIII.** *Supplicamus igitur, ut contra tyrannum*  
**A.C. 1241.** *pro atrocitate criminis sui decernas, quoniam*  
*eo regnante Ecclesia nullam habebit*  
*pacem, timendumque est ne cuncti Principes*  
*exemplum ejus sequuntur. Dabant Genuæ*  
 10. Maji.

**Matth. Par.** Captivi Præfules multa sufferebant  
**p. 501.** incommoda. Versabantur diu in mari  
 catenis vincti, & in triremibus coarctati,  
 fame sitique pressi, aëris calori, muscarum  
 aculeis, militum & nautarum convitiis ac  
 injuriis expositi. Carcer eis quies vide-  
 batur, cum tamen delicatioribus ibi ægro-  
 tarent, & quidam morerentur. Omnium  
 pessime habebatur Episcopus Prænesti-  
 nus, Imperatori invisissimus. Mense Ju-  
 lio Salernum translati sunt. Papa epi-  
 stolas eis consolatorias scripsit, in quibus  
 Abbates Cluniacensem, Cisterciensem,  
 & Clarævallensem inter captivos memo-  
 rat. Queritur de modica cautione Le-  
 gati sui Roberti Romandiolani, qui ma-  
 jorem triremium numerum colligere po-  
 tuisset. Hortatur captivos ad patien-  
 tiam exemplo veterum Martyrum haben-  
 dam. Promittit simul, se nihil omisurum,  
 ut illos per vim in libertatem asserat, &  
 acceptam injuriam compenset.

**Ric. S. Ger.**  
**XV. ep. 85.**  
 109.  
**ap. Rain.**  
 n. 69. 72.



## §. XLVII.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1241.*Sanctus Ludovicus eorum libertatem  
flagitat.*

Rex Sanctus Ludovicus comperta Gallicorum Præfulum captivitate, ad Imperatorem misit Abbatem Corbejensem & Gervasium Scriniorum Curatorem cum litteris, quibus Præfulum libertatem flagitabat. Fridericus respondit iterando querelas de Papa Gregorio. *Utroque, inquit, gladio contra me usus, concilium, ut damnarer, convocaverat. At Deus malam ejus intentionem videns fecit, ut Præsules meas in manus inciderent, quos omnes tanquam inimicos detineo. Ne mirare igitur, si Gallicos Præsules, qui me in angustias adigere volebant, in arcta teneam custodia.* S. Ludovicus in altera epistola constantem hactenus Franciæ cum Imperio consensionem illi ob oculos posuit. *Hanc turpisti, addit, capiendo Præsules Regni nostri ad Apostolicam Sedem euntes, quo, cum abnuere jussa nequirent, jurata eos obedientia vocabat. Episcopi (quod hic videmus) in Gallia, sicut ubique alibi tunc credebantur accersentem Papam non posse non adire. Ex eorum epistolis, pergit Rex, cognovi, si Papa quidquam contra jus & fas esset molitus, eosdem ne tunc quidem nocere tibi voluisse. Itaque in liberta-*

*Nang. Gest.**to. 5.**Duchesne**p. 336.**Petr. de Vin.**l. ep. 13.**Ibid. ep. 12.*



Sæcul. XIII. *bertatem illos restituere debes. Id serio*  
A.C. 1241. *cogita! Nam Regnum Gallicum non est*  
*tam infirmum, ut insectationes tuas am-*  
*plius ferat. His litteris haud defuit ef-*  
*fectus, dum Imperator quanquam invi-*  
*tus Gallos omnes dimisit liberos.*

*Ric. S. Ger.*  
*p. 1036.*

Interim se longius semper in Italia & latius extendebat, vastans agros circumjectos urbibus ingressum denegantibus. Faventia Fanum, dein Spoletum, hoc capto Assisium venit: & sumptibus belli suffecturus, sui in Italia Regni Præsules mense Junio Melphiam convocatos astrinxit, ut sibi Domino suo templorum thesauros, scilicet supellectilem argenteam, ornamenta serica, & gemmas commodarent; id quod per duos menses proximos urgebat. Omnes has opes in urbem S. Germani prope Montem Cassinum congeri iussit. Inter alia mensa aurea, quæ hoc in cœnobio ante aram S. Benedicti stabat, & argentea ad altare Beatissimæ Virginis posita auferebatur. Sed Ecclesiæ thesaurorum partem pecuniis redeemerunt.

§. LXVIII.

*Vastitas Hungariæ a Tartaris*  
*illata.*

*Ibid.* Eodem mense Junio 1241 Imperatori nunciatum est, Tartaros magis semper



per magisque progressos, victo Hungariae Rege in foribus Germaniae stare. Rex ipse Episcopum Vaccianum ad eum misit cum epistolis, per quas & se & Regnum suum illi subiectum fore spondebat, si hoc a Tartaris tueretur. Ducebat eos Bathus seu Baido Ginguiscani nepos, Occidentem ac Septem triones versus procedens interea, dum Ogtajus cognatus ejus Orientem impugnabat, ubi Regnum Sinarum in ditionem suam redigit. Bathus Russos, Bulgaros, Sclavos aggressus, etiam Cuthenum Comanorum Regem profligavit, qui pro se suaque familia perfugium a Bela Hungarorum Rege petiit, se in ejus potestate fore, ac Religionem Christianam amplexurum pollicitus. Annuit Bela cum gaudio, tot animas Christo adjunctum iri sperans. Sed Comani etiamnum barbari, & quorum bona in re pecuaria consistebant, Hungaris & grandia intulere mala, & Regem Belam exosum reddiderunt.

Interim Tartari Russiam ingressi, captam Kioviam urbem tunc principem incolis omnibus trucidatis funditus everterunt; & vastata Polonia, cujus Dux Henricus in proelio cecidit, invasere Bohemiam; sed repulsi quendam e Ducibus suis primariis Betam nomine amiserunt. Hanc irruptionem Dux Brabantiae percepit per epistolam generi sui Dynastae

*Hist. Ecclesiast. Tom. XX.* C c Sa-

Sæcul XIII.  
A.C. 1241.

*Abulfar.*

p. 310.

*Haito c. 22.*

*G. Nang.*

*Gesta p. 340.*

*Roger. De-*

*struct. Hung.*

c. 2.

*Matth. Par.*

p. 496. 497.

*Dubrav. lib.*

16. p. 131.

*M. Par. ibid.*



**Sæcul. XIII.** Saxonici Dominica *Lætare* 10 Martii an.  
**A C. 1241.** 1241 datam, quam ad Episcopum Parisiensem misit. Regina Blanca tam tristi nuncio territa, ad S. Ludovicum, *Ubi es fili mi*, clamabat. Accessit iste, &: *Quid est, o mater mea*, inquebat. Illa gravi suspirio ducto soluta in lachrymas, *Quid agendum*, aiebat, *dilecte fili*, *hoc rerum in articulo*, *dum Ecclesie nobisque omnibus*, *quotquot sumus*, *interitus imminet?* Ad ea Sanctus Rex: *Divinum speremus auxilium! Si Tartari veniant*, *detrudemus eos in orcum*, *aut illi nos in cælum mittent.* Hoc dictum non tantum Ordini Nobilium Gallicorum, verum etiam vicinis populis animos addidit.

**Roger. De-**  
**fruct. c. 14.**

Compertum est in Hungaria, Tartaros ejus fines Russiam versus depopulari elapso post ingressum Comanorum anno, nempe circiter Natalem Christi an. 1240. Tum vero Rex Bela totum per Regnum edici curavit, ut Ordo Nobilium ad primum imperium in hostem ire paratus esset. At Hungari plerique Regem perosi similes de Tartarorum accessu rumores sæpe sparsos falsosque fuisse causabantur. Alii perhibebant, eorum authores esse Præfules, qui se vellent absolvere a necessitate petendi Romam, quo ad concilium a Papa vocati essent. Nemo tamen ignorabat, Hugolinum Archiepiscopum Colociensem Venetias misisse, qui pete-



peteret, ut ipsi & aliquot Suffraganeis  
 ejus triremes reservarentur, ac ne abirent  
 ex Hungaria, invitos a Rege cohibitos  
 fuisse. Sub tempus verni jejunii an. 1241  
 crescente semper rumore de appropinqua-  
 tione Tartarorum Rex Budam delatus  
 Præsules Proceresque convocavit ad de-  
 liberandum de mediis tuendi Regnum.  
 Quarta jejunii verni hebdomade, die Mar-  
 tis 12 Martii commissa ibi pugna acerrima  
 Bathus Ruslica Regni porta potitus  
 per exercitum suum e quingentis ho-  
 minum millibus constantem cœpit vasta-  
 re rura, incendere pagos, enecare inco-  
 las omnes sine discrimine sexus vel æta-  
 tis. Sequenti die Veneris 15 Martii di-  
 midii diei itinere Pesto aberat ex adver-  
 so Budæ ad Danubium sito. Continuan-  
 tes vastationem Tartaros aggressurus e-  
 rat Archiepiscopus Colociensis: sed vi-  
 ctus probrosam capeffere fugam cogeba-  
 tur. Benedictus Episcopus Varadinen-  
 sis, cum illos diruta Agria Episcopi ac  
 Ecclesiæ thesauros diripere audiisset, &  
 pariter in eos copias duxisset suas, mili-  
 tati dolo deceptus succubuit.

Rex Bela Agriam usque progressus  
 Tartaros fugam simulantes invadere vo-  
 lebat: sed Hungaris, qui eorum pugnan-  
 di modum nesciebant, Regemque suum  
 parum amabant, ad internecionem cæsis,  
 Belæ id unicum saluti fuit, quod in-

Cc 2 cogni-

Sæcul. XIII.  
 A. C. 1241.

c. 15.

c. 16.

c. 21.

c. 27.

c. 28.



Sæcul. XIII.

A. C. 1241.

c. 30.

incognitus aufugeret. Hoc infausto die aliquot Præfules perempti sunt; Matthias Archiepiscopus Strigoniensis, in quo magnam Rex fiduciam posuerat; Huginus Archiepiscopus Colociensis, illustri ortus genere, atque grandia ad negotia præ cunctis idoneus; Georgius Episcopus Jaurinensis, a doctrina sua commendatus; Raynaldus Transylvanus Episcopus Nitriensis ob mores suos laudatissimus; Nicolaus Sebenicensis in Dalmatia Ecclesiæ Præpositus, Regis Procellarius, qui e Tartaris præcipuis quendam sua prius mactavit manu, quam morte occumberet: nam hi Præfules pugnantibus interempti sunt. Hæc clades terram constraverat cadaveribus, quæ per bidui viam dispersa, capite truncata alia, alia in partes dissecta jacebant. Multi aquis suffocati, multi una cum pagis & templis combusti sunt: multis etiam aër tot cadaverum foetore infectus vitam eripuit, illis præsertim, qui faucii ac semimortui in sylvas se abdiderant. Denique, cum agri triennio, quo Tartari manebant in Regno, coli haud possent, ex fame malorum cumulus accessit.

70.

Therock.

Chr. c. 74.

c. 34.

Capto Varadino, cum Ecclesia Cathedralis, in quam multæ sceminæ nobiles confugerant, contra hostes defendetur, injectis ignibus eam cum omnibus inclusis concremarunt. Aliis in templis  
omne



omne impuritatum & sacrilegiorum genus commisere. Postquam mulieres constupraverant, eodem loco eas necabant. Frangebant vasa sacra, sepulchra Sanctorum disrumpebant, horum reliquias pedibus calcabant. Ex hoc exemplo conjici potest, alibi quid fecerint. Ita per æstatem anni 1241. omnem trans Danubium regionem usque ad confinia Austriæ, Bohemiæque ac Poloniæ devastarunt. Rex Bela in Dalmatiam profugit salvus, nec nisi post Tartarorum abitum rediit, nimirum anno 1243.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1241.

c. 37.

c. 38.

§. XLIX.

*S. Hedwigis Polonicæ obitus.*

Henricus Poloniæ Dux, in hac Tartarorum incursione occisus, Ducem Henricum tribus abhinc annis extinctum & S. Hedwigem parentes habuerat. Hæc necem filii divinitus cognitam haud minus fortiter quam mortem conjugis tulit. Procul aberat, ut in lachrymas iret; sed Principis Viduam, & Abbatissam Trebnitiensem filiam suam dolore oppressas videns, *Hæc est voluntas Dei, ajebat; & quidquid ei placet, nobis esse acceptum debet.* Tum oculis manibusque ad cœlum sublatis addidit: *Gratias tibi ago Domine, quod talem mihi dederis filium, qui per omnem vitam suam me coluit &*

*Vit. ap. Sur.  
15. Oct. c. 3. 8.*

C c 3                      amavit,



Sæcul. XIII. *amavit, nullam mihi unquam molestiam*  
A. C. 1241. *creans: Et quantocunque mihi gaudio fuisset, eum post me relinquere, felicem reputo, quod sanguinem pro causa tam bona fuderit, Et in cælo tibi conjunctum credo.*

6. 4.  
 Huic piæ Principi duo vitæ anni supererant, quos in exercitatione Christianarum virtutum omnium transigebat. Ejus abstinencia erat tanta, ut per annos quadraginta circiter nulla carne vesceretur, quidquid seu instando precibus, seu exprobrando frater ei suus Episcopus Bambergensis diceret, cui magnam observantiam simul ac benevolentiam exhibebat. Denique Guilielmus Episcopus Mutinensis, & Apostolicæ Sedis Legatus in Poloniam profectus, cum ægram videret, ad comedendam carnem per obedientiam adstrinxit. Ad mensam ordinariam die Dominica, Martis, & Jovis adhibebat piscem aut cibum lacte confectum; die Lunæ & Sabbathi legumina sicca; die Mercurii ac Veneris ad panem & aquam se redigebat. In vestitu omnem non ornatum modo & mollitiam, sed commoditatem quoque, & vix non necessitatem sibi subtraxerat, tunicam tantum & stolam gestans, ac nudis plerumque pedibus contempto regionis frigore incedens. Quin etiam subucula fetis aspera & flagellis ad sanguinem suum corpus afflictabat.

Ejus



Ejus preces erant longæ, ferventes, ac propemodum continuæ: pluribus quotidie sacrificiis præfens ad quodlibet offerebat donum suum, & in fine sibi Sacerdotis manus imponi gaudebat. Editis miraculis, & vaticinationis dono clara, cum imminere sibi mortem sciret, Extremam Unctionem, antequam ægrota- ret, petiit. Denique ad cœlum avola- vit 15 Octobris anno 1243. Voluerat in cœmeterio Parthenonis humari: sed Abbatissa illius filia hoc in animum indu- cere non poterat, & invitam in templo ante aram principem sepeliri jussit. Sa- cræ Deo Virgines, ut Sancta prædixe- rat, multum incommodi patiebantur ex multitudine hominum ad sepulchrum e- jus precantium, ubi divina virtus admi- randa multa patrauit. Igitur Episcopi ac Duces Poloniæ ab Apostolica Sede efflagitabant, ut Hedwigem in album Cœ- litum solenni ritu referret: quod præ- missis idoneis inquisitionibus post tres ac viginti annos a Papa Clemente VI. factum 26 Martii an. 1267. illiusque ho- nori dies obitus 15 Octobris assigna- tus est.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1241.

c. 5.

c. 7. 8.

Rain. 1267.

n. 41.

Bullar.

Clem. IV.

const.

Cc 4

§. L.



Sæcul. XIII.  
A. C. 1241.

§. L.

Papæ ac Imperatoris querelæ mutuæ ex occasione Tartarorum.

*XV. ep. 79.*  
*ap. Rain.*  
*1241. n. 18. 19* Ut primum Tartari Hungaros invaserant, Rex Bela Papæ Gregorio rei notitiam dedit, qui 16 Jun. an. 1241 respondens, post communes consolationis locos eum ad generosam Regni defensionem animavit, subsidium generalibus promittens verbis: simulque Episcopis Hungariæ scripsit, ut sibi subjectis sacram contra Tartaros militiam suaderent, eandem, quæ Terram sanctam petentibus fieret, noxarum pœnarumque condonationem offerendo. Cum Rex post suorum stragem Stephanum Episcopum Vaccianum in Italiam misisset cum epistolis ad Papam & Imperatorem, Gregorius ei rursus per officiosas sui Hungaricis in malis luctus contestationes, ac generalia auxilii promissa respondit, in fine addens: *Si Fridericus, qui se Imperatorem dicit, submitte se gerere ac Ecclesiæ subicere vellet, ad pacem cum eo jungendam parata esset, idque foret medium tibi efficacius succurrendi.* Dabat 1 Julii.

*Ibid. n. 27.*

Contra Fridericus perhibebat, sibi, ne Hungariæ subveniret, Papam obstare, qui Lombardos, cæterosque contra Imperium



rium rebelles Italos foveret. Atque hoc Sæcul. XIII.  
 elucet ex illius ad Regem Belam respon- A. C. 1241.  
 so, in quo dicit, sibi instaurandis in Italia  
 Imperii juribus occupato ad conficiendum Petr. de Vin.  
 hoc grande opus modico tempore opus lib. I. ep. 29.  
 esse; omnesque labores ac sumptus ad  
 eam rem impensos, si de regione dece-  
 deret, inutiles fore. *E præterito, inquit,*  
*futurum metior. Papa me absente Siciliam*  
*adoriretur, sicut fecit, cum in Terram san-*  
*ctam proficiscerer. Quare omnia reliqui,*  
*ut Romam contenderem, cui propinquus jam*  
*sum. In pacem assidue incumbo, quam me*  
*obtenturum celerrime, & postea in Tartaros*  
*iturum spero. In eandem sententiam* Ric. S. Ger.  
 Regi Galliæ cæterisque Principibus Chri- p. 1036.  
 stianis epistolam scripsit, cujus hæc sum- Petr. Vin.  
 ma est. *Audimus Tartaros Imperii finibus*  
*imminere, ejusque ac Ecclesiæ Romanæ ex-*  
*cidium meditari. Sed quamvis nos illis op-*  
*ponere firmissime statuerimus, mala præsen-*  
*tia depellere potius, quam intentata aver-*  
*tere cogimur: nempe Italia, quam Papa in*  
*nos commovet, subigenda nobis est. Itaque*  
*vos omnes adhortamur, ut nobis Imperii ju-*  
*ra redintegrantibus, vos interea hostis com-*  
*munis conatibus obviam eatis.*

Eisdem de Papa querimonias Impe- ap. Matth.  
 rator habuit in longa epistola ad Regem Par. p. 469.  
 Angliæ 3 Jul. data, in qua post descri-  
 ptos Tartarorum progressus, ac ever-  
 sionem Hungariæ ita loquitur: *Quoties Pa-*



Sæcul. XIII.  
A.C. 1241.

p. 498.

*pam ad ineundam nobiscum pacem, & ad destituendos Italos contra Imperium rebelles permovere conati jam sumus! Sed impotentem animi motum sequens, milites contra nos ad sacræ crucis exercitum conscribi jussit, qui adversum Tartaros vel Saracenos mittendus erat. Porro Tartaros per exploratores omnem in partem missos compertum dissidium nostrum, ut nos invaderent, stimulavit. Si absque obstaculo Germaniam intrarent, haud diu expectandi reliquis essent Principibus. His quoque ejusmodi epistolas misit Imperator; & in illa, quam ad Galliæ Regem scripsit, addebat: Miramur Gallos tam sagaces non præ cæteris perspexisse Papæ artificia, cujus arrogantia insatiabilis Christiana Regna omnia sibi subicere cupit, & Angliæ corona pedibus obtrita Imperium oppugnat.*

§. LI.

*Mors Gregorii IX. & Cælestini IV.*

*Ric. S. Ger.*  
p. 1036.

**F**ridericus urgebat iter Romam versus, quo eum Cardinalis Joannes Columna invitaverat, qui eodem mense Julio Papa relicto Præneste profectus aliqua Romanis loca eripuit, & copias ab Imperatore accepit. Is autem mense Augusto Tibure in ditionem redacto, Romæ semper magis appropinquans, occupatis quibusdam Coenobii Fabaritani castellis ad Cryptam



Cryptam Ferratam castra posuit, unde Romanum vastabat agrum. Tum audiit Papam Gregorium IX. e corpore excessisse 20. Augusti an. 1241. Pene centenarius erat, summum Pontificatum 14. annis quinque mensibus gesserat, & in Vaticano sepultus est. De obitu eius Imperator cunctos ad Principes epistolam scripsit, in qua suum Gregorii odium non dissimulat, successoremque pacis amantiores eligi cupit.

Romæ decem Cardinales aderant: duos in mari captos, scilicet Jacobum Episcopum Prænestinum, & Ottonem Diaconum ad S. Nicolai, Apostolicæ Sedis Legatos Imperator in carcere detinebat. Illi decem miserunt Oratorem, qui ipsorum nomine Cæsari supplicaret, ut Legatos ea, qua vellet, conditione dimitteret, Romam ad electionem Papæ venturos. Annuit Fridericus ea lege, ut in carcerem redirent, nisi Otto in Papam eligeretur: & generatim permisit, ut absentes Cardinales omnes hoc fine Romam peterent. Interea decem præsentibus coierant quidem; sed diversa tulerant suffragia: quinque Godefridum Mediolanensem Episcopum Sabinensem elegerant, tres alium, Romanum nomine, qui Cardinalis ad S. Angeli fuerat, & tunc Episcopus Portuensis erat, cooptaverant. Imperator Godefridum admisit, Romanum rejecit,

Sæcul. XIII.  
A.C. 1241.

Matth. Par.  
p. 510.  
Petr. Vir.  
I. ep. 11.

Alb. Stad.  
Chr. 1241.  
Ughell. to. I.  
p. 154.



Sæcul. XIII. A.C. 1241. **rejecit, quia hic malam existimationem in Gallia tum ob jurgium cum Universitate Parisiensi habitum, tum ob iniquos rumores, de sua cum Regina Blanca amicitia sparfos contraxerat, & præterea, quia dissidium inter Aulas Romanam & Imperatoriam aluisse dicebatur. Utraque electio erat irrita, quod neutra duas tertias suffragiorum haberet, ut per constitutionem Alexandri III. necesse fuit.**

*Sup. Lib.*  
*LXXIX.*  
*§. 13.*

*M. Par.*  
*p. 512.*

*Ric. S. Ger.*  
*p. 1037. 1038*

Cardinales, cum ita dissentirent, tum quidem discesserant: dein vero post plures disceptationes duobus electis jure suo cedentibus exeunte Octobri in suffragia rursus itum, & Papa declaratus est Cardinalis Godefridus novo nomine Cœlestinus IV. Bonis moribus & doctrina conspicuus erat, at senio confectus, ita, ut sequente Novembri mortem oppeteret in Vaticano, cum Sedem Apostolicam sedecim tantum diebus tenuisset. Suspicio fuit, veneno necatum esse. In S. Petri sepultus est; moxque Cardinales aliqui Roma Anagniam fugerunt.

§. LII.

*Vacatio sanctæ Sedis.*

*Alb. Stad.*  
*an. 1242.*  
*Matth. Par.*  
*p. 518.*

Interregnum supra annum octo pene mensibus duravit ob Cardinalium disensionem, quæ eos aliorum ludibriis exponebat. Sex aut septem restabant Romæ



mæ: quidam e vita cesserant; aliquiæ-<sup>Sæcul. XIII.</sup>  
 grotabant; alii in patria sua abditi co-<sup>A.C. 1242.</sup>  
 gnatos inter & amicos suos hærebant;  
 nec animis minus quam corporibus divisi  
 erant. Curia Romana in mœrore jace-<sup>Ric. de</sup>  
 bat, & magnum in contemptum venerat.<sup>S. Ger.</sup>  
 Imperator tamen mense Februario an.<sup>p. 1038.</sup>  
 1242. Magistrum Ordinis Teutonici Ma-<sup>Ughell. to. 7.</sup>  
 rinum Filangerium Neapolitanum, no-<sup>p. 885.</sup>  
 vum Archiepiscopum Bariensem, ac Do-<sup>Petr. Vin.</sup>  
 ctorem Rogerium Porcastrellium Romam  
 misit de pace acturos. Eodem mense  
 Henricus Imperatoris filius natu maxi-  
 mus in arcis Martoranensis carcere natu-  
 ræ cessit: & Imperator, quantamcunque  
 offensam ab eo passus erat, haud omisit  
 tamen ad omnes Regni Præfules scribe-<sup>re. q. h. i. c. i.</sup>  
 re, ut exequias ejus celebrarent, suisque  
 precibus Deum illi propitium redderent.  
 Sequenti Aprili captivos duos Legatos  
 Jacobum Episcopum Prænestinum, & Ot-<sup>Ric. p. 1039.</sup>  
 tonem Cardinalem S. Nicolai Tybur ad-  
 vehi jussit.

Interim pax non fiebat: & mense  
 Majo Cæsareæ copiæ Reatinos, Narnia-  
 nos, & Asculinos agros Romani Tyburti-  
 nos vastabant. Mense Julio Fridericus  
 ipse adversus Romam numerosum duxit  
 exercitum; & viciniam depopulatus  
 mense Augusto in Regnum suum rediit.  
 Tum Cardinalem Ottonem dimittens li-  
 berum, Episcopum Prænestinum in Apu-  
 liam



**Sæcul. XIII.** **A.C. 1242.** liam captivum revehi voluit. Hoc pro-  
babiliter tempus erat, quo Cardinalibus  
exprobravit, quod per dissensionem suam  
Papæ novi electionem tamdiu differrent.

*Petr. de Vin* *Nullam spiritualium, inquit, solam fluxa-*  
*l. ep. 14.* *rum rerum vobis ante oculos observantium*  
*rationem ducitis. Quilibet vestrum sum-*  
*nam ardentem dignitatem cupit, & ambi-*  
*tioni suæ obsequitur, meritorum minime*  
*studiosus. Æmulatio usque eo vos abri-*  
*pit, ut alter alteri mortem imprecetur:*  
*tantum abest, ut eum videre Papam velit.*  
*In factiones igitur ne discedite, sed con-*  
*junctis animis Ecclesiæ caput date, orbi-*  
*que Christiano exemplum melius præbete!*

*Ibid. ep. 27.* Cum hæc epistola effectum suum non ha-  
beret, vehementiorem scripsit, in qua in-  
ter oburgationes & injurias hæc dicit:  
*Hic omnium sermo est, non esse inter vos*  
*JESUM Christum authorem pacis, sed*  
*Satanam patrem mendacii & discordiæ;*  
*cumque vestrum quilibet summum ad Pon-*  
*tificatum aspiret, nullum consentire, ut al-*  
*lius eum obtineat: ita sedes vacua & con-*  
*tempta manet; nec ad vos dona deseruntur*  
*ep. 35.* *amplius, quamvis accipere parati sem-*  
*per sitis. Habentur etiam Gallorum Re-*  
*gis ad Cardinales litteræ, in quibus hos*  
*simili modo reprehendit, exhortans, ne*  
*timeant Imperatoris violentiam, qui Sa-*  
*cerdotium Imperio per nefas jungere*  
*velle videatur.*

§. LIII.



## §. LIII.

Sæcul. XIII.

A.C. 1242.

*Rebellio Comitis Tolosani.*

Sup. Lib.

LXXIX.

§. 51.

Guil. Pod.

Laur. c. 44.

Raymundus Tolosæ Comes foederis cum Rege Sancto Ludovico Parisiis anno 1229. in penitentia ductus, alteras ad nuptias procedere volebat, ut susciperet filium, quem successorem suum scriberet exclusa filia sua Joanna. Hanc Principem e prima uxore sua Sanctia Arragonia procreaverat, quæ etiamnum vivebat, sed a Comite dudum relicta fuerat, suum matrimonium declarari nullum cupiente. Hunc in finem a Papa Inquisitores impetraverat, scilicet Episcopum Albige, ac Præpositum ad S. Salvium eadem in urbe, qui dissolutionem conjugii statuerunt ex eo capite, quod Comitis pater Sanctiæ pater lustricus esset. Nec ista repugnabat. Sed Raymundus Episcopus Tolosanus multis Comitis precibus non est adductus, ut huic iudicio interesset, quia testium productorum relatio ei suspecta erat. Hæc illius cautio acceptissima fuit S. Ludovico, ejus fratri Alphonso Comiti Pictaviensi, & conjugii ejus Joannæ, quorum rationibus Inquisitorum sententia oberat.

Ita solutum se perhibens Comes Tolosanus ex consilio Regis Arragoniæ tertiam



**Sæcul. XIII.** tiam Raymundi Berengarii Provinciae  
**A.C. 1242.** Comitis filiam, cui pariter Sanctiæ no-  
 men erat, in sponsam petiit: & Rex To-  
 losani Comitis personam gerens, sub  
 conditione, si Papa annuat, sponsalia  
 cum illa fecit per actum Aquis Sextiis  
 11. Aug. 1241. celebratum, ubi Episco-  
 pus Tolosanus tanquam testis aderat.  
 Papæ consensu opus fuit, quia ob cogna-  
 tionem legis gratiam fieri oportebat:  
 eamque obtinendi causa Legati mitte-  
 bantur ad Papam Gregorium, cujus mor-  
 tem Pisas delati audierunt. Quare hoc  
 connubii foedus effectu caruit, & illa Prin-  
 ceptus postea Comiti Richardo Angliæ  
 Regis fratri nupsit. Tolosanus Comes  
 ducturus erat Isabellam ex Hugone Li-  
 ciniacensi, Marchiæ Comite, ac Isabella  
 Regis Joannis vidua & Henrici tunc in  
 Anglia regnantis matre natam: sed ruti-  
 sum propinquitas obstabat.

**Nang. Gesta** Interim accessit ad armorum socie-  
**p. 337.** tatem, quam Marchiæ Comes cum Re-  
 ge Angliæ contra Gallorum Regem in-  
 iit, ut Pictaviensem provinciam recu-  
 peraret. Verum Rex S. Ludovicus  
 hoc in bello gloriæ messem fecit. Nam  
 & egregia fortitudinis suæ specimina in  
 Talleburgensi æque ac Santonensi pu-  
 gna edidit; & Regem Henricum in fu-  
 gam



gam compulit; & Marchiæ Comiti, cui <sup>Sæcul. XIII.</sup>  
Comes irata venenum parari voluerat, A. C. 1242.  
generoso ignovit animo: quod anno 1242  
factum. Comes Tolosanus Regis pro-  
gressibus bellicis obstupescens pacem pe-  
tiit, & anno sequente Lauriaci in agro  
Vastinensi obtinuit.

§. LIV.

*Martyres Avenionenses.*

Seditio Comitis Tolosani Occitaniæ hæ-  
reticorum animos accendit: & legi-  
mus, eodem anno 1242. 29 Maji in per-  
vigilio Ascensionis a quibusdam eorum <sup>Boll. 29.</sup>  
sectæ addictis Inquisitores fuisse occi-  
sos; nempe tres Fratres Prædicatores, <sup>Maj. to. 18.</sup>  
Guilielmum Arnaldum, Bernardum Ru-  
pifortinum, & Garfiam Aurianum; duos <sup>p. 180</sup>  
Fratres Minores, Stephanum Narbonen-  
sem, & Raymundum Carbonensem;  
Priorem Avenionensem monachum  
Clusanum, Raymundum Canonicum &  
Archidiaconum Tolosanum, Bernardum  
ejus Clericum, Petrum Arnaldum Nota-  
rium, Fortanerium & Ademarum Cle-  
ricos. Hi undecim nocte in conclavi  
Comitis Tolosani jubente ejus Prætore  
trucidati sunt Avenioneti nunc Papulo-  
politaniæ, tunc Tolosanæ Diœcesis op-  
pido. Illorum cæde comperta Cardina-  
les in interregno Romæ præsentem  
*Hist. Eccles. Tom. XX.* Dd Fra-



Sæcul. XIII. Fratrum Prædicatorum per Saluivorum  
A.C. 1242. terram Magistro Provinciali instar om-  
 nium Fratrum ea de re epistolam scrip-  
 serunt, in qua viros per hoc facinus vi-  
 ta privatos, mortis causa & circumstan-  
 tiis spectatis, Martyres vocant. Scele-  
 ris atrocitas a bello contra Regem coe-  
 pto revocavit aliquos eorum, qui se cum  
 Comite in illud immiserant. Sed an-  
 no proximo Comes pace Lauriaci con-  
 fecta Tolosam reversus quosdam homi-  
 nes, qui cædi adfuisse dicebantur,  
 comprehensos ad patibulum  
 condemnavit.

*G. Pod.*  
*Laur. c. 45.*

